QVA RATIONE OVIDIVS IN AMORIBVS SCRIBENDIS PROPERTI ELEGIIS VSVS SIT

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

RUDOLFUS NEUMANN

HANNOVERANUS

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXIX

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt M. Pohlenz et R. Reitzenstein.

Examen rigorosum habitum est a. d. XI kal. Febr. anni MCMXIX.

MATRI MEAE.

Cum Ovidius elegias scribere inciperet, hoc genus artis poeticae Romae iam ab elegiacis poetis prioribus Gallo, Tibullo, Propertio, quibus se quartum successisse ipse in Tristium libri quarti elegia decima[1]) dicit, omnino excultum erat. Quare factum est, ut Ovidius non solum e fontibus Graecis hauriens, sed etiam Romanos elegiographos imitatus carmina sua conderet. E quibus imprimis Propertium secutus est, quem ab Ovidio magni aestimatum esse e compluribus locis Ovidianis elucet. In carmine enim, quod commemoravimus, poetas illius temporis afferens, quibuscum sibi usus fuisset, de Propertio scripsit[2]): „saepe suos solitus recitare Propertius ignes, iure sodalitii, quo mihi iunctus erat.“ Etiam aliis e locis Ovidi cognoscitur, quantopere Propertius animum eius moverit. Velut in ea parte libri artis amatoriae tertii[3]), ubi puellis suadet, ut animi excolendi causa poetas legant, haec legimus: „et teneri possis carmen legisse Properti“. Cf. praeterea Trist. II v. 465, V 1, 15 sqq., Remed. amoris vv. 763 sq.

Plurimi loci, quibus inter Ovidium et Propertium ratio certa intercedere videtur, in libris Amorum inveniuntur. Neque dubium est, quin Propertius prior sit atque Ovidius ab eo pendeat, iis locis exceptis, qui in Properti libro quarto exstant. Nam ignoramus, utrum Pro-

---

1) Cf. vv. 51 sqq.
2) vv. 45 sq.
3) v. 333.

perti liber quartus antecesserit an Ovidi editio prior Amorum. Quibus locis interpretatione accurata de hac re recte disceptare diiudicareque opus est. Loci ipsi similes, qui in Amoribus permulti reperiuntur, iam pridem a viris doctis summa cum diligentia collecti collatique sunt[1]). Sed valde cavendum nobis est, ne omnibus locis, qui similes videntur, Ovidium Propertium imitatum esse putemus. Considerandum enim est facillime fieri potuisse, ut similitudines efficerentur, quoniam uterque easdem sententias eademque argumenta amatoria tractabat. Non igitur licet, ut exemplum afferam, putare Ovidium a Propertio pendere, si argumentis usitatis, quae Graeco verbo τόποι nominantur, consentiunt, nisi aliis ex rebus Ovidium Propertium ante oculos habuisse concludi potest.

Quodsi recte diiudicare et intellegere volumus, qua arte Ovidius in elegiis componendis usus sit quantumque effecerit, Ovidium alio atque alio loco a Propertio pendere statuere nobis satis non est, sed potius exquirendum est, qua ratione amicum natu maiorem imitatus sit, vel, ut perspicue et diserte dicam, perscrutandum est, quomodo Ovidius argumenta a Propertio tractata usurpet excipiatque atque in usum suum convertere sciat, prout effectum quendam petit, ita ut carmina nihilominus opera ex ipsius ingenio nata esse videantur. Neque enim Ovidius Propertium tamquam assecla imitatus est, sed omnibus locis argumenta a Propertio allata quacumque ratione variare et carminibus notam ingenii sui propriam imprimere studuit. Neque iis viris doctis assentiri possum, qui Ovidium, quem in declamatorum scholis educatum esse eorumque discipulum diligentem fuisse Seneca

---

1) Cf. Zingerlei librum (Ovidius und sein Verhältnis zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern. 1. Heft. Innsbruck 1869), editionem Amorum a Brandtio curatam, Amores a Némethyo editos.

pater memoriae prodidit[1]), omnino nihil aliud fecisse nisi argumentis aliis ex poetis arreptis secundum praecepta rhetorum carmina condidisse atque exornavisse putant. Nam quamquam eum praecepta eorum in carminibus componendis saepe secutum esse inter omnes constat, tamen de eius arte recte diiudicari non potest, nisi ingenium ipsum Ovidi et natura et mores satis respiciuntur. Nonnulla quidem carmina Amorum, quae cum Properti elegiis cohaerent, iam a compluribus viris doctis, qui nonnumquam inter se dissentiunt, aliqua occasione data accuratius tractata sunt, sed dissertatio perpetua deest, qua de omnibus locis, qui magni momenti videntur esse, secundum rationem supra descriptam disputatum est. Itaque operae pretium esse censeo diligenter perscrutari non solum, quae argumenta Ovidius a Propertio petiverit, sed etiam imprimis demonstrare, qua ratione in libris Amorum scribendis Properti argumenta in usum suum converterit et quatenus carmina nihilosetius ex Ovidi ingenio nata sint et quid assequi voluerit.

Ratio, quae inter Properti et Ovidi elegias intercedit, admodum varia est. Modo Ovidium Properti carmina imitatum esse facilius cognosci potest modo difficilius. Diversi gradus imitationis nobis distinguendi sunt. Locos enim alios invenimus, quibus verba singula sola sunt similia, alios, ubi sententiae singulae eaedem sunt, alios, quibus argumenta quaedam congruunt, quin etiam tota carmina Ovidi ad Properti carminum exemplar scripta sunt.

I.

Iam incipiamus ab eo gradu infimo, ubi verba singula sola cum verbis, quae in Properti elegiis exstant, con-

1) Cf. controv. II 2, 8.

sentiunt. Exemplum primum hoc afferre mihi liceat. Prop. II 4, 1 sq.:

multa prius dominae delicta queraris oportet,
  saepe roges aliquid, saepe repulsus eas.

∼ Ov. II 9 b, 46:

saepe fruar domina, saepe repulsus eam.

Intellexeris verba tam similia esse, ut per casum similitudinem exortam esse dici non possit. Sed etiamsi Ovidium hoc loco a Propertio pendere concedimus, tamen exquirendum est, utrum Ovidius illa verba Propertium consulto imitatus scripserit an ille locus Properti ei inscio, ut ita dicam, in mentem venerit. Nam cum Ovidium Properti carminum gnarissimum fuisse sciamus, facile fieri potuisse putandum nobis est, ut verba Properti recordatus versibus suis insereret. Qua de re si recte disceptare volumus, explorare opus est, num etiam eundem vel similem conexum sententiarum Ovidius praebeat ac Propertius. Quam rem sic se non habere carminibus Properti et Ovidi in comparationem vocatis statim cognosces. Propertius enim de laboribus suis, cum Cynthiae animum sibi conciliare non possit, queritur. Saepe aliquid rogavit, sed repulsus iit i. e. exclusus abiit. Sed quamquam sibi multa toleranda esse docet, tamen Cynthiae, quam amore maximo complectitur, vale dicere non potest. Contra Ovidius postquam parte priore carminis (9 a) de cruciatu sibi tolerando questus est, altera parte (9 b) demonstrat non solum se sine amore tamen vivere non posse sed etiam, quod maximum valet, vario amore ipso maxime delectari. Quae cogitatio cum apud Propertium omnino non occurrat, Ovidium locum Properti consulto imitatum esse putare non licet. Accedit, quod argumentum, quo poetae erotici se a puella exclusos esse queruntur, usitatissimum est.

Item res se habet in loco sequenti:

Prop. III 8, 27:

odi ego, cum nunquam pungunt suspiria somnos:
semper in irata pallidus esse velim.

∾ Ov. Am. II, 19, 55:

nil metuam? per nulla traham suspiria somnos?

Non modo verba extrema versuum eadem sunt, sed etiam cogitatio, qua poetae sibi ingratum esse noctes sine suspiriis traducere finxerunt. Cum plerumque poetae querantur, quod doloribus amoris affecti vel stimulis amoris agitati somnum capere non possunt, his locis Ovidius et Propertius somnum placidum oderunt. Ut Propertius suo carmine se vitam quietam non cupere, sed cum rivalibus puguare sibi iucundum esse demonstrat, ita Ovidius se taedere amoris nimium patentis et pericula sibi grata esse docet. Neque tamen Ovidium in carmine suo componendo Properti elegiam imitatum esse putare licet. Nam Ovidius Tibullum sequitur [1]), qui libri primi carmine sexto de viro stulto questus est. Quod argumentum nihil aliud esse nisi variatum argumentum, quo poetae virum durum esse dolent, apparet. Itaque cum illa sententia, qua Ovidius sine suspiriis somnos trahere sibi ingratum esse dicit, ex ordine naturali sententiarum exoriatur, non est, cur putemus Ovidium consulto locum Properti respexisse.

Non aliter iudicandum est de hoc loco:

Ov. Am. II 10, 16:

hostibus eveniat vita severa meis.

∾ Prop. III 8, 20:

hostibus eveniat lenta puella meis [2])

Propertius carmine suo, de quo supra dixi, mores Cynthiae defendit, quae poetam infidelem esse arbitrata

1) Cf. M. Pohlenz, De Ovidi carminibus amatoriis. Progr. Gotting. 1913, pag. 11.

2) Similiter Propertius optat II 4, 17: hostis siquis erit, amet ille puellas.

vehementer in eum invecta erat. Nam his ex moribus amorem verum elucere poeta demonstrare studet. Itaque adversariis suis male precatur, ita ut iis lenta puella eveniat. Contra Ovidius elegia sua plane aliud argumentum tractat. Disserit enim de commodis, quibus amator utitur, qui duarum puellarum animos simul sibi conciliavit. Quamquam duae puellae eum magis vexant quam una, poeta tamen talem vitam amore omnino expletam agere mavult quam sine amore vivere i. e. severam vitam agere. Quae vita ut hostibus suis eveniat, Ovidius optat. Vides igitur non solum rationem sententiarum sed etiam quod optat a Properti carmine diversa esse. Itaque Ovidium hunc ipsum locum Properti imitari voluisse negem. Accedit, quod verba „hostibus eveniat . .“ apud Ovidium saepius occurruut, quibus poeta adversariis suis male precari solet: cf. Am. III 11, 16: „eveniat nostris hostibus ille pudor“ et heroid. 15, 217: „hostibus eveniant convivia talia nostris“, quibus locis Ovidium locum certum Properti imitatum non esse apparet. Cf. etiam art. am. III 247: „hostibus eveniat tam foedi causa pudoris“ etc.

Permulta exempla alia huiusmodi afferri possunt, sed nonnulla selecta tibi proponere satis habeo.

Ov. Am. I 1, 8:
ventilet accensas flava Minerva faces
Prop. IV 3, 50:
hanc Venus, ut vivat, ventilet ipsa facem
Ov. I 6, 71:
qualiscumque vale sentique abeuntis honorem.
Prop. III 21, 16:
qualiscumque mihi tuque puella vale.
Ov. I 8, 23:
scis here te, mea lux, iuveni placuisse beato?
Prop. II 22, 1:
scis here mi multas pariter placuisse puellas?

Ov. I 15, 29:
Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois
Prop. II 3, 43/44:
sive illam Hesperiis sive illam ostendit Eois,
uret et Eoos, uret et Hesperios.
Ov. III 1, 17 sqq.:
nequitiam vinosam tuam convivia narrant,
narrant in multas compita secta vias!
saepe aliquis digito vatem designat euntem,
atque ait: „hic, hic est, quem ferus urit Amor.“
Prop. II 20, 21 sq.:
septima iam plenae deducitur orbita lunae,
cum de me et de te compita nulla tacent.
Ov. III 1, 47:
et tamen emerui plus quam tu posse ferendo.
Prop. IV 11, 61:
et tamen emerui generosos vestis honores.
Ov. III 9, 25/26:
adice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni
vatum Pieriis ora rigantur aquis.
Prop. III 3, 51:
talia Calliope lymphisque a fonte petitis
ora Philetaea nostra rigavit aqua.
Ov. III 12, 1/2:
quis fuit ille dies, quo tristia semper amanti
omina non albae concinuistis aves?
Prop. II 28, 38:
nigraque funestum concinit omen avis.
Ov. III 12, 5/6:
quae modo dicta mea est[1]), quam coepi solus amare.
Prop. II 8, 5:
possum ego in alternis positam spectare lacerto,
nec mea dicetur, quae modo dicta mea est?

---

1) Cf. Catulli VIII 17: cuius esse diceris?

Ov. III 15, 17 sq.:

corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus:
pulsanda est magnis area maior equis.

Prop. II 10, 1 sq.:

sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
et campum Haemonio iam dare tempus equo.

Quibus omnibus locis quamquam Ovidium a Propertio pendere manifestum est, tamen, cum vel ratio sententiarum diversa sit vel cogitatio, quae similis videtur, aliis ex sententiis ex ordine naturali nexa et apte colligata sit, fieri non posse mihi videtur, ut Ovidium illos locos Properti ipsos consulto imitatum esse putemus, i. e., ut aliis verbis utar, Ovidium quamquam plerumque sibi conscium fuisse se Propertium imitari fortasse arbitrari licet, tamen illum consilium certum secutum esse cognosci non potest.

II.

Iam ad alterum gradum imitationis, qua Ovidius Propertium secutus est, accedamus. Qua in parte quaestionis nobis pertractandae de iis locis disserendum est, quibus Ovidius consulto sententias singulas ex Properti elegiis depromit vel consulto ad certos locos illius alludit.

Nonnumquam quidem exempla eiusmodi inveniuntur, ut pro certo dici non posse videatur, utrum Ovidius certum locum Properti ipsum respicere voluerit an non. Tale exemplum hoc mihi videtur esse:

Ov. I 2, 51/52:

adspice cognati felicia Caesaris arma:
qua vicit, victos protegit ille manu.

∾ Prop. II 16, 41/42:

Caesaris haec virtus et gloria Caesaris haec est:
illa, qua vicit, condidit arma manu.

Describit Ovidius carmine suo triumphum Amoris, quem poeta ipse captivus sequitur. Amorem, ut miseri-

cordiam eius concitet, de Caesaris clementia admonet, qui victos in fidem receperit. Comparat igitur Amorem triumphantem cum Caesare, qui hostes superavit. Caesarem eadem manu, qua vicerit, etiam victos protexisse dicit. Quod acumen ipsum Propertius quoque praebet. Propertius illo carmine, quo in praetorem, rivalem divitem, invehitur, Cynthiam monet, ne turpi amori indulgeat; nam tali amore infami facile calamitatem effici posse. Quam ad sententiam illustrandam exemplo Antoni utitur, cui Cleopatra interitum paravit. Quam rem postquam narravit, poeta duos versus supra allatos addit, quibus eum Caesarem laudare voluisse apparet. Non dubium est, quin versus, quibus ad Caesaris clementiam alludit, apud Ovidium magis ex ordine naturali sententiarum exortae sint quam apud Propertium, qui paulum a proposito digreditur, ut laudem Caesaris inserat. Quam ob rem fortasse dicas Ovidium non consulto locum Properti imitatum esse, praesertim cum poetae illius aetatis saepe Augustum libris suis celebraverint. Sed hoc tibi neglegendum non est: Ovidius accurate merito Caesaris uno disticho commemorato Propertium videtur secutus esse. Uterque poeta postquam priore versu distichi animum lectoris in Caesarem intendit, altero versu meritum eius laudat. Itaque Ovidium locum Properti consulto respexisse et imitatum esse dico. Sed utcumque res se habet, Ovidium illam sententiam artificiose in usum suum convertisse manifestum est. Locum Properti paulum commutavit, quo magis descriptioni triumphi Amoris responderet: pro verbis Properti „a r m a condidit“ posuit „v i c t o s protegit“ i. e. pro rebus homines ad se ipsum et alios captivos Amoris spectans.

O v. I 2, 31:

M e n s B o n a ducetur manibus post terga retortis.

∼ P r o p. III 24, 19:

M e n s B o n a, siqua dea es, tua me in sacraria dono.

Extrema parte carminis sui, quo Propertius Cynthiae vale dicit, implorat Mentem Bonam, ut se suae tutelae esse velit. Ut Mens Bona a Propertio divina specie induitur, ita etiam ab Ovidio, apud quem illa in numero captivorum est, qui Amorem triumphantem sequuntur. Ovidium exemplar Graecum secutum non esse apparet, cum et religionis Romanae sit multas notiones sola mente percipiendas specie dearum induere et Mens Bona ipsa [1]) a Romanis tamquam dea adorata sit. Sed quid est, cur Ovidium Propertium imitatum esse putandum est? Propertius, qui Cynthiae vale dicens in sacraria Mentis Bonae se donat, significat se per eos annos, quibus amore Cynthiae inflammatus erat, mentis bonae expertem fuisse. Quam sententiam eandem, qua amantem mentis sanae participem non esse fingitur, Ovidius ad exemplum Properti in usum suum convertit. Etiam longius Propertio progreditur illam vera, ut ita dicam, persona induens, quippe quae Amorem sequatur, a quo victa est. Vides igitur Ovidium sententiam, qua Propertius se ipsum ab Amore victum mentis bonae expertem fuisse illustraverat, in universum vertisse et auxisse: amor vincit mentem bonam iuvenum et puellarum.

Ov. II 16, 49 sq.:

parvaque quam primum rapientibus esseda **mannis**
    ipsa per admissas **concute lora iubas.**

∼ Prop. IV 8, 15; 21 sq.:

huc mea detonsis avecta est Cynthia **mannis.**
spectaclum **ipsa** sedens primo temone pependit,
    ausa per impuros **frena** movere locos.

Libri quarti elegia octava Propertius aliquando Cynthiam, cum illa absente amore duarum puellarum aliarum delectari vellet, se deprehendisse et poena affecisse nar-

1) Cf. Wissowa, Religion und Kultus der Römer. 1912. p. 314.

rat. Cum Cynthia se Lanuvium ad Junonem colendam proficisci (cf. v. 16) dixisset, poeta eam Veneris causa potius abisse opinatus erat. Poeta moribus, quibus Cynthia in itinere usa est, magnopere offensus est. Indignatus est, quod Cynthia in curru sedens coram hominibus ipsa equos rexit. Qua in imagine describenda re in maius lata delectatur (cf. v. 21). Mulieres enim ipsas non decere equos regere tum Romae putabatur. Non aliter ac Propertius Ovidius Corinnam ipsam currum, ad quem etiam manni iuncti sunt, regentem animo fingit. Poeta perspicue ei rei multum tribuere videtur, quod Corinna ipsa equos regit. Rationem certam inter Properti et Ovidi locum intercedere apertum videtur esse. Uter prior est? Nam cum Properti locus, de quo certatur, in quarto libro exstet, qui an ante priorem Ovidi Amorum editionem editus sit dubium est, Ovidium hoc loco priorem esse fortasse cogitari potest. Ut recte disceptemus, primum cognoscamus, quid Ovidius illo carmine narret. Poeta in patriam Sulmonem iter faciens magno desiderio affectus est, cum Corinnae meminisset. Quam monet, ut promisso stet: itaque quam celerrime ad se advolet. Sperat enim poeta illam quoque magno desiderio affectam esse. Quod desiderium Ovidius apertum fieri velle videtur Corinna ipsa equos admissos regente, ex quo eam quam maxime festinare decorum non sequentem elucet. Rationem igitur sententiarum, quae in Ovidi carmine invenitur, plane diversam esse a Properti elegia dispicis. Maxime hoc tibi respiciendum est: Propertius aemulum induxit. Quod Cynthia currum, in quo ille sedet, regit, id ipsum poetae animum offendere sentimus. Propertium illam imaginem ex Ovidio deprompsisse omnino non verisimile est. Sententiae enim in Properti carmine ratione inter se coniunctae esse et ex ordine naturali progredi videntur: poeta moleste fert, quod Cynthia omnis decoris oblita cum aemulo profecta est; ut eam ulcisceretur, dua-

rum puellarum aliarum animum sibi conciliavit. Contra imaginem, de qua disseritur, neque necessariam esse et facile addi potuisse concedas in Ovidi elegia. Itaque Ovidium hoc loco a Propertio pendere nobis concludendum est. Locum Properti imitatus variavit, ut rationi sententiarum ceterarum carminis apte responderet: poeta ipse Corinnam id facere iubet, quod Propertius condicione commutata turpe putat.

Ov. II 17, 34:

ingenio causas tu dabis una meo.

Ov. III 12, 16:

ingenium movit sola Corinna meum.

∼ Prop. II 1, 4:

ingenium nobis ipsa puella facit.

et Prop. II 30, 40:

nam sine te nostrum non valet ingenium.

Utroque loco Ovidius ad Propertium alludit. Neque enim dubitari potest, quin Ovidius definite dicens ingenium suum a Corinna sola moveri, quae causas carminum det, Propertium imitatus sit. Properti libri secundi carmen primum, quo poeta poesin amatoriam contemnendam non esse demonstrat, maxime Ovidi animum movisse infra accuratius cognoscemus (cf. pag. 44 sqq.). Quo carmine Propertius Maecenati, qui eum adhortatus erat, ut ad aliud genus artis poeticae accederet, ingenium suum a puella sola moveri exponit. Ovidius (II 17) Corinnam ipsam alloquitur: „ingenio causas tu dabis una meo." Animum enim eius permovere studet. Corinnam causam carminum suorum esse Ovidius etiam I 3, 20 dicit: „provenient causa carmina digna sua" similiter atque in II 17 animum Corinnae movere studens. Idem argumentum Ovidius denuo affert in III 12, 16 [1]).

1) Ad hunc locum alludit trist. IV 10, 59: „moverat ingenium totam cantata per urbem nomine non vero dicta Corinna mihi."

Ov. I 15, 1 sq.:

quid mihi, Livor edax, ignavos obicis annos,
  ingenii vocas carmen inertis opus?

v. 39:

pascitur in vivis Livor, post fata quiescit,
  cum suus ex merito quemque tuetur honos.

∼ Prop. III 1, 21 sqq.:

at mihi quod vivo detraxerit invida turba,
  post obitum duplici fenore reddet opus.
omnia post obitum fingit maiora vetustas:
  maius ab exsequiis nomen in ora venit.

Carmine extremo libri primi Ovidius gloriam suam immortalem esse exponit; omnia perire, sed opera poetarum deleri non posse. Ovidium hoc carmen ad exemplar Horati libri tertii carminis 30, in quo gloria sua elatus verba facit: „exegi monumentum aere perennius“ scripsisse Pohlenzius docuit [1]). Sententiam autem, qua homines invidentes sibi obtrectare illustrat, e Propertio sumpsisse mihi videtur. Quamquam Ovidius Horatium imitans, qui (v. 3) monumentum a se exactum imbre edaci dirui non posse dicit, livorem edacem appellat, tamen certa re ab Horatio discrepat. Nam cum Horatius ad tempus futurum spectet, Ovidius de tempore praesenti dicit, quod dilucide e verbis eius elucet: „pascitur in vivis Livor.“ Invidiam, qua homines affecti poetae obtrectant, se mortuo exstinctum iri Ovidius putat. Itaque post mortem se magnum nomen magis magisque crescens adepturum esse arbitratur. Gloriam suam auctum iri (cf. v. 6 sqq.: „usque ego postea crescam laude recens . .“) etiam Horatius quidem dicit, sed quod sibi vivo homines invident, hoc loco non queritur [2]). Dicas fortasse Ovidium pro tempore

1) Cf. Progr. Gott. 1913, pag. 7.

2) Alio loco (cf. ep. II 1, 12) etiam Horatius de invidia queritur, quae supremo fine domatur.

futuro praesenti sumpto Horatium variasse. Quod fieri potuisse concedo. Sed quid est, cur eum variaverit? Propertius iam nobis respiciendus est. Nam Propertius aeque atque Ovidius homines sibi vivo invidere dicit. Perinde atque Ovidius nomen suum post mortem eo magis laudatum iri explicat. Maecenatem Propertium ad genus epicum transire voluisse, quod poetam tanto ingenio praeditum elegias solas componere dolebat, notum est. Itaque Propertium semel atque iterum artem suam defendentem atque se Cynthiae semper fidum mansurum esse i. e. se carmina amatoria condere perrecturum esse exponentem videmus. Neque aliter hoc carmine, quod quasi prologus libri tertii est, de hac re disserit. Reicit eos, qui opera eius non laude magna digna putant. Quam ob rem num dubitas, quin Ovidius, quippe qui vestigia amici natu maioris diligenter premat, Properti locum respexerit? In remediis amoris Ovidius iterum ab invidia hominum se defendit [1]).

Iam comprehendere paucis verbis mihi liceat, quod de locis similibus supra allatis iudicandum est. Ovidium, si ad totum carmen spectas, Horati III 30 imitatum esse manifestum est. Eo vero loco, ubi de invidia queritur, Propertium respiciens illum variavit.

Duabus arte inter se coniunctis elegiis (II 2 + 3) Ovidius custodem, quem vir puellae ne cum aliis peccet imponit, amatori ingratissimum esse illustravit. De custodia puellae etiam libri tertii carmine quarto multis verbis disserit, ubi longius progressus argumentum usitatissimum tractat, quo puellam custodire inutile esse demonstratur, quippe quae nisi animo casta et pudica est retineri non possit, quin peccet [2]). Quod argumentum

1) Cf. vv. 361 sqq. v. 389: „. . livor edax . .“.

2) Cf. Tib. I 6, 75 („nec saevo sis casta metu, sed mente fideli“). Prop. II 6, 39 sq.: „nam nihil invitae tristis custodia prodest: / quam

Ovidium ad exemplar Tibulli I 6 pro duro viro stultum fingentem variasse carmine II 19 a Pohlenzio demonstratum esse supra diximus. Carmina II 19 et III 4, de quo hoc loco accuratius disserendum est, arte inter se cohaerent. Utroque enim carmine poeta monita praeceptaque viro dat. Putandum est carmen III 4 prius ab Ovidio scriptum esse. Nam hoc carmine viro dissuadet, sed elegia II 19 suadet, ut puellam custodiat, cum sine ullo periculo amore eius uti poetae non iam placeat: nam „quod licet, ingratum est; quod non licet, acrius urit" (= II 19, 3). Similiter Ovidius dixerat ad puellam custoditam spectans III 4, 17: „nitimur in vetitum semper cupimusque negata". Utroque igitur carmine (II 19 et III 4) Ovidium argumentum pervulgatum, quod est proverbium quoque vetitum ipsum maxime cupi illustratur, tractare accommodatum ad amantium mores vides [1]). Quae carmina separari non posse elucet etiam ex artis amatoriae libri tertii versibus 577 sqq., ubi argumenta repetuntur. Antequam certos locos Ovidi carminis III 4 cum locis similibus Properti conferamus, iam cognoscamus, quae sententiae illo carmine contineantur: vv. 1—8: Puella ut casta sit, custodiendo effici non potest.

---

peccare pudet, Cynthia, tuta sat est." Artis amat. III 617/18: „tot licet observent, adsit modo certa voluntas, ; quot fuerant Argo lumina, verba dabis". Ovidi carmen III 4 miro quodam modo cum comoediis concordare Gollnisch (Quaestiones elegiacae, Diss. Vratislav. 1905. pag. 24) demonstravit, qui Ov. vv. 1—12, 19/20, 25 confert cum fragmento Menandri a Stobaeo floril. servato 74, 27, et vv. 43—48 cum Terent. Eunuchi vv. 1072—1082. Praeterea Ov. vv. 1—4 conferendi sunt cum Eurip. fragm. 1046 (Nauck).

1) Buerger (De Ovidi carminum amatoriorum inventione et arte. Guelferbyti 1901. pag. 10) Ovidi carminis v. 25: „quidquid servatur, cupimus magis" comparat cum Philodemi epigrammate A. P. XII 173, vv. 5/6: „οὐ γὰρ ἕτοιμα | βούλομαι, ἀλλὰ ποθῶ πᾶν τὸ φυλασσόμενον". Sententiam eius, qui Ovidium a Philodemo non pendere putat, omnino probo.

vv. 9—24: Puellae indulgere utilius est, quod demonstratur exemplis e natura et fabulis mythologicis allatis. vv. 25—32: cum enim id quod non licet maxime cupiamus, amator eo magis animum puellae flectere studet, quo diligentius custoditur. vv. 33—36: iniustum est puellam ingenuam custodiri. vv. 37—40: vir, qui puellam infidelem esse miratur, mores urbis non novit. vv. 41—48: Itaque eum poeta hortatur, ut ratione utatur.

Ovidium carmen secundum τελικὰ κεφάλαια composuisse apparet. (ἀδύνατον = vv. 1—8. βλαβερόν = 9—12. νόμιμον = 33—36. ἐξόν = 37—40).[1] τὸ νόμιμον tractat exponens Romae mores perditos esse, quapropter non sit, quod vir puellam cum aliis peccare miretur. Qua in re demonstanda Ovidius locum Properti ante oculos videtur habuisse. Nam confer:

Ov. III 4, 37 sqq.:

rusticus est nimium, quem laedit adultera coniunx,
  et notos mores non satis urbis habet,
in qua Martigenae non sunt sine crimine natae.

∼ Prop. II 32, 47 sqq.:

qui quaerit Tatios veteres durosque Sabinos,
  hic posuit nostra nuper in urbe pedem,
tu prius et fluctus poteris siccare marinos
  quam facere ut nostrae nolint peccare puellae.

Propertius vv. 1—26 carminis sui Cynthiam monet, ut publico careat. Nam eam non rectam viam secuturam esse intellexit. vv. 27—40: crimina parva se non movere dicit, praesertim cum deae Olympiae isdem moribus usae sint; vv. 41—62: Romae pudicitiam non esse notum esse; quam exstitisse temporibus solis Saturni. Ovidium totum illud argumentum, quo puellas retineri non posse quin peccent (cf. Prop. vv. 49 sqq.) exponitur, e Properti car-

1) Cf. Brueck. (De Ovidio scholasticarum declamationum imitatore. Diss. Giss. 1909), pag. 63; 66.

mine sumpsisse neque demonstrari potest neque verisimile est. Nam argumentum illud pervulgatum in numero τόπων qui vocantur habendum esse apertum est. Sed locum Properti supra allatum Ovidius respexisse mihi videtur. Neque enim aliter ac Propertius infidelitatem puellarum defendere studet: uterque eum mores urbis non novisse dicit, qui adulterio offendatur vel integritatem morum quaerat. Sed etiamsi sententiam hanc ipsam ab Ovidio e Propertio haustum esse putare nolis, quod Ovidium ipsum complura τελικὰ κεφάλαια adhibentem hoc argumentum invenisse fortasse dicas, tamen, si elocutionem respicis, Ovidium locum Properti memoria tenuisse, ita ut simili elocutione uteretur, concedendum est. Sed haec hactenus! Imprimis enim de eo loco disserere volo, quo Ovidius consulto ad certum versum a Propertio allatum alludere mihi videtur. Versus ille in Properti carmine II 23 exstat. Versibus 1—12 Propertius mulierum nobilium animum sibi conciliare se taedere exponit; multo enim gratius et facilius esse animum meretricum flectere (= vv. 13—20), quae non custodiantur. Quomodo servitium amoris, quod se effugere posse desperat, paulo levari poeta arbitratur. Quo demonstrato rationem sententiarum ab Ovidi elegia plane diversam esse intellegis. Quamobrem Properti carmen II 23 Ovidio ad elegiam componendam ansam non dedisse apertum est. Sed loco sequenti Ovidius ad Propertium alludit:

Ov. III 4, 31 sq.:

indigere licet, iuvat inconcessa voluptas:
    sola placet, „timeo“ dicere si qua potest.

∼ Prop. II 23, 18:

nec dicet (sc. meretrix): „timeo: propera iam surgere, quaeso:
    infelix, hodie vir mihi rure venit.“

Propertio puella non placet, quae timide, si se voluptatem capturum esse sperat, dicit: timeo, vir hodie

venit. Ovidius puellam id ipsum verbum „timeo“ loquentem facit, quod audire sibi iucundissimum esse dicit. Ovidius locum Properti, ut rationi sententiarum ceterarum apte responderet, variavit et consulto sententiam in contrariam vertit. Verbum, quod Propertio ingratum, ei gratum esse videmus. Ovidius consulto verbum solum „timeo“ affert, quod satis est ad sensum intellegendum. Timet enim puella virum. Acumen quoddam efficere voluisse Ovidius mihi videtur.

Ov. I 10, 1 sqq.:
qualis ab Eurota Phrygiis avecta carinis
coniugibus belli causa duobus erat,
qualis erat Lede, quam plumis abdidit albis
callidus in falsa lusit adulterave,
qualis Amymone siccis erravit in agris,
cum premeret summi verticis urna comas,
talis eras . . . . .
∾ Prop. I 3, 1 sqq.:
qualis Thesea iacuit cedente carina
languida desertis Gnosia litoribus,
qualis et accubuit primo Cepheia somno
libera iam duris cotibus Andromede,
nec minus assiduis Edonis fessa choreis
qualis in herboso concidit Apidano,
talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia . . . .

Ovidius initium carminis sui accurate exemplum Properti imitatus conformavit, qui libri primi carmen 3 ab comparatione triplici incipit. Ovidius cum omnia disticha tria initii a verbo „qualis“ incipiat, membrorum compositionem omnino congruentem reddidit. Cur Propertius tres illas heroinas enumerat? Poeta carmine lepido se aliquando e convivio redeuntem noctu Cynthiam dormientem invenisse narrat. Ut imaginem pulchrae puellae ia-

centis dilucide ante oculos nostros collocet, Cynthiam cum tribus heroinis formosis somno captis comparat carmine ineunte. Neque aliter Ovidius, ut pulchritudinem puellae amatae celebret, Corinnam cum tribus heroinis confert, quae pulcherrimae fuisse dicebantur. Propertio contigisse, ut imaginem dilucidiorem puellae quam Ovidius depingeret, putem; nam cum Ovidius in universum heroinas in comparationem vocet, Propertius certam condicionem respiciens, in qua Cynthia versatur, imagines heroinarum somno oppressarum praebet.

Similiter atque hoc in carmine Ovidius, ut pulchritudinem Corinnae describat, eam cum tribus heroinis confert I 7, 13 sqq.: „talem Schoeneida dicam | . . . . . 15 talis periuri promissaque velaque Thesei | flevit praecipites Cressa tulisse Notos; | sic nisi vittatis quod erat Cassandra capillis, | procubuit . . .“.

Ov. II 1, 2:
ille ego **nequitiae** Naso poeta meae.

Ov. III 1, 17:
nequitiam vinosa tuam convivia narrant.

∼ Prop. I 6, 25 sq.:
me sine, quem semper voluit fortuna iacere,
hanc animam extremae reddere **nequitiae**.

Prop. II 24, 6:
non ego **nequitiae** dicerer esse caput.

Propertius vitam suam, quae amore solo continetur, nequitiam significat. Nequitiae animam reddere mavult quam amicum sequi, qui eum monet, ut se in itinere comitetur. Similiter II 24, 6 de „nequitia“ sua dicit. Ovidium hoc verbo eodem sensu usum a Propertio pendere manifestum videtur esse. Alludit consulto ad Propertium.

Ov. II 1, 5 sq.:
me legat in **sponsi** facie non frigida **virgo**
et rudis ignoto tactus amore puer.

∼ Prop. III 3, 19 sq.:

ut tuus in scamno iactetur saepe libellus,
quem legat exspectans sola puella virum.

Ovidium Properti locum ante oculos habuisse putem. Poetae elegiaci quidem magistrorum amoris partes suscipere solent, sed imaginem respice, quam uterque praebet. Ut apud Propertium puella in scamno sedens libellum poetae legit, ita Ovidius optat, ut virgo se legat. Variavit autem et amplificavit Ovidius locum Properti. Pro puella virum exspectante virgo, quae est non frigida in facie sponsi, legit versus poetae. Praeterea Ovidius optat, ut pueri amore ignoto tacti carmina sua legant.

Etiam alter versus Properti loco Ovidi supra allato similis est: cf. I 7, 13:

me legat assidue post haec neglectus amator
et prosint illi cognita nostra mala.

Quem versum Ovidium consulto imitatum esse negem.

Ov. I 2, 23 sqq.:

necte (poeta Cupidinem alloquitur) comam myrto,
maternas iunge columbas!
qui deceat, currum vitricus ipse dabit,
inque dato curru populo clamante triumphum
stabis et adiunctas arte movebis aves;
ducentur capti iuvenes captaeque puellae,
haec tibi magnificus pompa triumphus erit.
ipse ego, praeda recens, . . . vulnus habebo
v. 35 blanditiae comites tibi erunt Errorque Furorque,
adsidue partes turba secuta tuas.

∼ Prop. III 1, 9 sqq.:

quo me Fama levat terra sublimis, et a me
nata coronatis musa triumphat equis,
et mecum in curru parvi vectantur Amores,
scriptorumque meas turba secuta rotas.

Propertius eo carmine, a quo librum tertium incipit, se vestigia Callimachi et Philetae pressurum esse confirmat (vv. 1--8). Tum gloriam suam hac re maximam esse et successores satis multos esse docet (vv. 9 sqq.). Quam sententiam illustrare studet imagine triumphi usus. Animo enim fingit se ipsum et musam suam una cum parvis Amoribus curru triumphali vehi. Atque ut milites e bello redeuntes imperatorem prosequebantur, ita poeta turbam successorum currum sequi cogitatione sibi depingit. Ovidius plane aliud argumentum tractat ac Propertius: vult enim illustare Amorem omnipotentem esse atque omnes vincere. Poeta postquam ab Amore victus se non iam resistere posse intellexit, illi se tradidit (vv. 1—22). Amorem tum adhortatur, ut triumphum agat. Deum in curru a columbis matris ducto animo concipiens imaginem triumphi multis verbis depingit: populus triumphum clamat, capti iuvenes et puellae, qui pompam splendidam efficiunt, deum sequuntur. Quorum in numero se ipsum esse poeta fingit. Cum triumphus consuetudinis Romanorum sit, Ovidium e fonte Graeco haurire non potuisse per se intellegitur. Apparet etiam Ovidium imagine Amoris triumphantis concepta a Propertio profectum non esse. Attamen eum imagine in describenda Properti locum memoria tenentem respexisse statuendum est. Variavit autem amicum suo more. Nam cum Propertius poeta ipse triumphator sit, Ovidius ut dixi se Amorem triumphantem sequi fingit. Porro pro poetis, qui imitatores Properti sunt, apud Ovidium capti amantes occurrunt. Utcumque res se habet, Ovidium triumphum Amoris describentem ἔκφρασιν rhetoricam [1]) praebere omnino apertum est. Iterum etiam eum animo prompto esse ad iocandum e triumpho vero omnia ac-

---

1) Cf. Theon. c. 10. — Hoc loco Ovidium praecepta rhetorica secutum esse Brueck (p. 30) notavit.

curatissime ad Amoris triumphum transferentem videmus [1].

III.

Omnibus in exemplis, quae supra tractavimus, Ovidium vel singula verba vel singulas sententias Properti imitatum esse cognovimus. Nunc autem de iis exemplis disserendum est, e quibus Ovidium etiam tota argumenta vel complures sententias inter se nexas e Properti carminibus sumpsisse et suis elegiis intexuisse videbis. Sed quamquam Properti carmina apud Ovidium plurimum valuisse apparebit, tamen Ovidium amicum natu maiorem numquam servili artificio usum imitatum esse, sed semper operam dedisse intellegemus, ut aliquid novi afferret atque efficeret, ut natura sua carminibus redderetur.

Ov. I 3, 7 sqq.:

si me non veterum commendant magna parentum
  nomina, si nostri sanguinis auctor eques,
nec meus innumeris renovatur campus aratris,
  temperat et sumptus parcus uterque parens:
at Phoebus comitesque novem vitisque repertor
  hinc faciunt . . .

∾ Prop. III 2, 9 sqq.:

quod non Taenareis domus est mihi fulta columnis,
  nec camera aureas inter eburna trabes,
nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
  non operosa rigat Marcius antra liquor:
at Musae comites et carmina cara legenti
  et defessa choris Calliopea meis.

Propertius carmine III 2 laudat potentiam, qua poeta utitur: vates antiqui beluas ipsas domuerunt et poetae

---

1) Alterum exemplum, quo poeta ritum triumphi ad suam rem transfert, invenimus I 7, 35 sqq., ubi puella pulsata et victa se ipsum victorem irridet.

ipsi turba puellarum obtemperat (= vv. 1—8). Etiamsi dives non est, tamen multum potest, quod musae eum adiuvant (v. 9—14). Puella, quam carminibus celebrat, immortalis fiet; nam carmina numquam exstinguentur (v. 15—24).

Ovidius longe aliud argumentum ac Propertius tractat: versibus 1—4 Venerem implorat, ut puella, quam sibi elegit, a se amari patiatur. Ab versu 5 sqq. puellam ipsam alloquitur. vv. 5—12: neque nobilissimo loco natus est neque dives est, sed musae comites eius sunt. vv. 13—20: fidem ei servabit eamque carminibus celebrabit. vv. 21—26: poeta eam monet, ut se carminibus laudatam gloriam magnam assecuturam esse respiciat.

Propertius, ut est poeta clarus et notus, magnos spiritus gerit, quoniam puellae eum sequuntur, Ovidius autem puellam modeste rogat, ut sibi materiem se praebeat. Neque tamen se non multum valere putat, sed Propertium potius secutus puellam docet, quanto commodo morem sibi gerens usura sit; nam a poeta carminibus celebrata gloriam magnam consequetur. Propertium secutus Ovidius — cf. locos supra allatos — primum sibi bona etc. deesse exponit, tum docet, cur nihilominus nequaquam contemnendus sit vel quanto commodo puellam afficere possit. Ipsa Properti verba imitatur: „at Phoebus, comites . . . .“. Sed cum Propertius tantum eiusmodi bonorum exempla enumeret, quibus poetae τόπον quendam sequentes uti solent, Ovidius etiam exemplum affert, quod ad eum ipsum accurate spectat. Alludens enim ad genus suum dicit v. 8: „si nostri sanguinis auctor eques.“

Dissentiunt autem poetae maxime inter se ea re, quod Propertius in universum dicit, Ovidius omnino ad Corinnam ipsam spectat, quam alloquitur. Imprimis Properti elegiae versus 15 et 16:

„fortunata meo siqua est celebrata libello,
carmina erunt formae tot monumenta tuae“,

Ovidio obversati sunt. Locum Properti Ovidius respiciens sententiam in usum suum convertit et variavit: nam cum Propertius in universum dicat eam puellam, quam celebret, claram futuram esse in omne tempus, cum opera poetae interire non possint, Ovidius iterum rem ad se ipsum et Corinnam reducit: cf. vv. 25/26[1]):

nos quoque per totum, pariter cantabimur orbem,
iunctaque semper erunt nomina nostra tuis.

Vidimus igitur Ovidium duas sententias e Properti carmine sumpsisse: 1) pauper quidem sum, sed poeta potens, 2) itaque puella nomen illustre consequetur. Ut dilucide cognoscamus, quomodo eas Ovidius in usum suum converterit, breviter iterum comprehendere liceat, quod demonstravi. Variat artificiose Propertium: isdem enim argumentis, quibus ille laudem suam celebrat, Ovidius utitur, ut animum Corinnae moveat. Separat duas illas sententias, quae apud Propertium inter se arte coniunctae altera alteram statim sequuntur, et locis diversis affert. Argumenta enim paulatim auget: primum sibi poetae musas adesse dicit, deinde se fidelem esse, tum se eam celebraturum esse, postremo postquam docuit, quantum poetae antiqui valuerint, Propertium sequens se et Corinnam semper cantatum iri pronuntiat. Quod argumentum maximum in extremo demum carmine consulto attulit, ut acumen efficeret. Neque solum e Propertio argumenta sumpsit, sed etiam extremam partem Tibulli elegiae I 1 respexit. Confer enim Ovidi versus 17/18:

„tecum, quos dederint annos mihi fila sororum,
vivere contingat teque dolente mori“,

1) ad v. 26 Ovidius alludit trist. IV 10, 59: moverat ingenium totam cantata per urbem. — Versus illos scribenti Ovidio etiam Properti verba II 25, 3: „ista meis fiet notissima forma libellis“ simul obversata esse fortasse cogitare licet.

cum Tibulli versibus 59/60:

„te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
te teneam moriens deficiente manu“.

Utrumque poetam illustrare se et viventem et morientem cum puella coniunctum esse velle, quarum amore maxime ardent, apparet.

Cum elegia I 3 Ovidi, quam tractavimus, elegia II 17 arte cohaeret, quae idem argumentum praebet, quo poetam quidem divitem non esse, sed puellam carminibus celebrare posse, ita ut clara in perpetuum fiat, demonstratur. Nam Ovidius postquam versibus 1—10 de servitio gravi, quo Corinna superba eum afficit, questus est et versibus 11—22 eam iniustam esse demonstravit, eam sibi imperare iubet (vv. 23—26). Non divitiae ei sunt (v. 27), sed immortalitate eam donare potest, qua affici multae puellae valde cupiunt (vv. 28—30). Tamen eam semper celebrabit (31—34). Respondent

1) vv. I 3, 7—12 („si me non veterum commendant .....“) versui II 17, 27: „sunt mihi pro magno felicia carmina censu“),

2) I 3, 26 („iunctaque semper erunt nomina nostra tuis“) ~ II 17, 33: „nec nisi tu nostris cantabitur ulla libellis“,

3) I 3, 20: „provenient causa carmina digna sua“. ~ II 17, 34: „ingenio causas tu dabis una meo“. (De hoc loco tertio disserui pag. 16).

Carmine II 17 iterum Ovidium demonstrare videmus se poetam plurimum valere. Corinnam iterum docet eam magno commodo affectum iri, si apud poetam gratiam ineat. Nam illa est causa carminum eius, quibus gloriam assequetur. Talia dicens non aliter atque in I 3 animum Corinnae flectere studet. Quod argumentum Ovidius etiam ad alterum locum Properti alludens:

II 5, 5:

„inveniam tamen e multis fallacibus unam,
quae fieri nostro carmine nota velit“

amplificavit et auxit. Addit enim hos versus 28 sqq.:

et multae per me nomen habere volunt;
novi aliquam, quae se circumferat esse Corinnam.
ut fiat, quid non illa dedisse velit?

Propertius carmine II 5 minas iactans se a Cynthia, quia infidelis sit, alienatum iri et aliam puellam carminibus celebraturum esse dicit. Se ipse cohortatur, ne hoc facere cunctetur, ne a consilio inito revocetur. Nihilominus tum iterum Cynthiam implorat, ut sibi fidem servet, minans se carminibus suis effecturum esse, ut ab hominibus contemnatur, nisi sibi obsequatur. Argumentum primum, quo Propertius ad animum Cynthiae flectendum se aliam puellam celebraturum esse dixerat, Ovidius usurpavit et in usum suum variatum convertit. Quamquam Properti et Ovidi carmina ratione sententiarum inter se diversa sunt, tamen Ovidius apte illud argumentum suo carmini inseruit. Queritur non de infidelitate puellae ut Propertius, sed de superbia Corinnae, quam pulchritudine eius effectam esse putat. Postquam eam his moribus usam sibi iniuriam inferre exposuit, iam alias puellas (cf. versus supra allatos) per se nomen habere velle dicit. Vides, qua ratione Ovidius Propertium variaverit. Neque enim aperte minatur, sed quodam modo furtive simul illustrans, quantum poeta valeat. Praeterea argumentum augere studet: cum Propertius modeste dicat se unam e multis inventurum esse, Ovidius non solum multas per se nomen habere velle, sed etiam se aliquam novisse fingit, quae se Corinnam esse circumferat.

Ov. I 9, 33 sqq.:

ardet in abducta Briseide magnus Achilles:
dum licet, Argivas frangite, Troes, opes!
Hector ab Andromaches conplexibus ibat ad arma,
et, galeam capiti quae daret, uxor erat.
summa ducum, Atrides, visa Priameide fertur
Maenadis effusis obstipuisse comis.
Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit.

∾ Prop. II 22, 28 sqq.:

nullus amor vires eripit ipse suas.
quid? cum e conplexu Briseidos iret Achilles,
num fugere minus Thessala tela Phryges?
quid? ferus Andromachae lecto cum surgeret Hector,
bella Mycenaeae non timuere rates?
ille vel hic classes poterat vel perdere muros.
hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.

Propertius carmine II 22 exponit sibi natura insitum esse puellas amare (vv. 1—20); se facile amore inflammari; quamquam Venerem saepe colat, tamen se omnino non debilitari (vv. 21—24); exemplis mythologicis allatis illustrare studet neque deos neque heroas infirmos fuisse, cum officio Veneris perfuncti ad pugnam proficiscerentur (vv. 25—34). Epilogo carminis utile esse in duarum puellarum favore esse exponit. Ovidius naturae suae indulgens diserte metaphora illa notissima, qua servitium amoris tamquam militiam esse demonstratur [1]), describit, quae officia ab amatore praestanda sint. Versibus 1—6 amatorem et militem similes esse illustrat, quod uterque

1) Ovidius art. amat. II 233 sqq. eandem metaphoram profert. — Brueck (pag. 55) Ovidium argumentum ex epigrammate deprompsisse et in totam elegiam distraxisse putat. Argumentum hoc pervulgatum, quod in numero τόπων habendum est, ab Ovidio ex epigrammata ipso sumptum esse demonstari posse non arbitror.

iuvenis est et fortissimo animo. Labores, itinera, impetus nocturni etc. amatori toleranda sunt (vv. 7—28). Ei opus est ingenio et usu (vv. 29—32). Viri fortissimi etiam sub imperio Amoris maxime strenuos se praebuerunt (33—40). Amor puellarum poetam ignavum agilem reddidit.

Ut se militia Amoris non debilitari demonstret, Propertius affert exempla Achillis, qui Briseida, et Jovis, qui Alcumenam, et Hectoris, qui Andromachen uxorem amavit. Jove excepto Ovidius et eosdem heroas et easdem mulieres, quas illi amant, affert. Accedit, quod verba singula simillima sunt. Quamobrem dubium non est, quin Ovidius Properti locum ante oculos habuerit. Heroibus Achilli et Hectori tertium Agamemnonem amore Cassandrae incensum addidit. Pro Jove deo Martem affert ad Homeri narrationem alludens, qua illum cum Venere concubantem ab Vulcano oppressum esse inopinatum legimus. Neque vero Ovidius Propertium varians militia amoris vires non minui illustrare studet, sed id potius confirmare vult, quod versibus 31/32 dixit:

ergo desidiam quicumque vocabat amorem,
    desinat: ingenii est experientis amor.[1])

Sin accurate perscrutatus eris, qua in ratione sententiarum exempla ab Ovidio allata occurrant, non omnia exempla aptissima esse concedes. Primum quidem exemplum, quo Achilles affertur, primo obtutu aptissimum videtur esse: Achilles enim amore Briseidos omnino occupatus erat, ita ut Troiani occasione data Graecos maximo damno afficere possent. Quo exemplo demonstrari videtur amore operam omnem et vim mentis viri, qui totum se ei dedit, occupari. Nam ita ratio sententiarum interpretanda esse nobis videtur, si hoc exemplum primum legimus. De Hectore autem res aliter se habet: e complexibus Andromachae ad pugnam ibat i. e. quamquam amore An-

1) Similem cogitationem invenimus art. amat. II 233 sq.

dromachae delectabatur, tamen in proelio fortissimum se praebebat, cum Achilles amore puellae incensus pugna abstineret. Quod ad Agamemnonem attinet, eum Cassandrae amore arsisse demonstratur. Quamquam hoc exemplum aptius videtur, tamen exponi exspectes, qua ratione amor eius sit ingenii experientis. Similiter res se habet de Marte. Sin verba „amor ingenii experientis est“ ita interpretamur: amare possunt omnes ii soli, qui industrii et strenui sunt — quam ad rem illustrandam exempla illorum heroum vel deorum afferuntur —, qui pugnantes et amantes fortes se praestiterunt, argumentum id non esse concedas, quo amorem desidiam non esse demonstretur. Accedit, quod exemplum Achillis, si ita interpretamur, rationi sententiarum omnino non respondet (nam cf. v. 34!). Tamen ita interpretandum esse e loco simili elucet, qui artis amat. II 709 sqq. occurrit: „fecit in Andromache prius hoc fortissimus Hector, nec solum bellis utile ille fuit etc.“ Ovidius igitur nihil aliud dicere vult nisi amorem et virtutem omnino in iisdem hominibus inveniri posse. Quaerendum nobis est, qua re factum sit, ut argumentum ab Ovidio allatum rationi sententiarum non accurate respondeat. Properti exponere Venere culta vires non deminui interest. Quod ut illustret, exemplis perspicuis utitur: heroes quamquam amore ardebant, tamen fortissimos in pugnis se praebuerunt. Potuit etiam alia exempla afferre, quae ad pugnam non spectant. Ovidio autem exemplis talibus opus erat, quoniam servitium amoris militiam esse docet. Locum Properti imitatum fugit illa exempla non accurate rationi sententiarum respondere, quae nunc variatur: amor et militia non solum similes sunt, sed etiam saepius in iisdem viris occurrunt i. e. amor et militia inter se omnino non abhorrent, quod Propertius ostendere vult. Ab versu 41 tum Ovidius redit, unde aberravit (cf. v. 33).

Invenimus et apud Propertium et apud Ovidium elegiam, qua argumentum usitatissimum tractant, quo de Amore alato disputatur. Queruntur Amorem, quamquam alas habeat, a se removeri non posse. Poetae erotici saepe[1]) Amorem volare negantes artifices, qui ei alas addiderunt, vituperant, cum Amor ex corde amantis expelli non possit. Quod argumentum iam Eubulus in fragm. apud Athenaeum servato (XIII 562 c) praebet: τίς ἦν ὁ γράψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα | ἢ κηροπλαστήσας Ἔρωθ' ὑπόπτερον; | ὡς οὐδὲν ᾔδει πλὴν χελιδόνας γράφειν, | ἄλλ' ἦν ἄπειρος τῶν τρόπων τῶν τοῦ θεοῦ κ. τ. λ. Confer etiam Meleagri epigramma A. P. V 211 et Pauli Silentiari epigr. A. P. V 267 et alia. Ovidius quodammodo a Propertio pendet; confer locos similes sequentes:

1) Ov. II 9, 1 sq.:

o numquam pro me satis indignate Cupido,
    o in corde meo desidiose puer!

∼ Prop. II 12, 13 sqq.:

in me tela manent, manet et puerilis imago;
    sed certe pennas perdidit ille suas,
evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam,
    assiduusque meo sanguine bella gerit.

2) Ov. vv. 13 sqq.:

quid iuvat in nudis hamata retundere tela
    ossibus? ossa mihi nuda relinquit amor.
Tot sine amore viri, tot sunt sine amore puellae:
    hinc tibi cum magna laude triumphus eat.

∼ Prop. vv. 17 sqq.:

quid tibi iucundum est siccis habitare medullis?
    si pudor est, alio traice tela tua.
intactos isto satius temptare veneno:
    non ego, sed tenuis vapulat umbra mea.

---

1) Cf. Hoelzer, De poesi amatoria a comicis Atticis exculta, ab elegiacis imitatione expressa. Diss. Marpurg. 1899, pag. 15.

3) Ov. vv. 49 sq.:

tu levis es multoque tuis ventosior alis
gaudiaque ambigua dasque negasque fidem.

∼ Prop. vv. 5 sq.:

idem (sc. qui Amorem pinxit) non frustra ventosas addidit alas,
fecit et humano corde volare deum.

Uterque poeta Amorem alloquens queritur, quod ille a se non discedat. Mirantur Amori iucundum esse se, qui debilitati iam plane sint, semper vexare. Simul, ut Amorem a se avertant, multos alios esse docent, quos sub imperium suum redigat. — Propertius pictores laudat, quod Amori alas addiderunt; putat enim hac re inconstantiam eius bene significari (cf. vv. 1 sqq.). Ovidius Propertium varians rem auget: respiciens imaginem Amoris alati eum ventosiorem alis ipsis esse dicit. Quae cum ita sint, quaestio exsistit, utrum Ovidius ad exemplar Properti elegiae totam elegiam suam scripserit an inter locos similes supra allatos solos ratio intercedat. Ut igitur recte diiudicemus, quatenus Ovidius a Propertio pendeat, primum cognoscamus, qua ratione poetae carmina sua composuerint atque disposuerint:

Prop. II 12: vv. 1—4 poeta laudat eum, qui Amorem alatum pinxit, cum amantes sine sensu vivant[1]. 5—8: Inconstantia enim eorum alis ei additis apte significatur. 9—12: Sagittis eius vulnera efficiuntur, quae sanari non possunt. 13—16: Sagitta Amoris in poeta haeret, sed ei

1) Propertius carmen incipit ab hac interrogatione: „quicumque ille fuit puerum qui pinxit Amorem, nonne putas miras hunc habuisse manus?“ Quam formam dicendi et cogitandi, quae εὑρημάτων quae vocantur propria est, in comoediis pervulgatam fuisse atque inde in elegiam transisse Fr. Leo demonstravit (Plautinische Forschungen, Berlin 1912², pag. 152). — Reitzenstein (Hellenistische Wundererzählungen, Leipzig 1906) tales quaestiones in rhetorum scholis progymnasmata usitata fuisse pag. 167 docet.

alas perdidisse videtur, cum numquam ab eo discedat. 17—20: Non intellegit, cur Amor se opprimat, cum iam omnes vires se defecerint. 21—24: poeta mortuo Amor sibi ipsi nocet.

Carmen Properti est ἔκφρασις poetica accommodata ad condicionem, in qua poeta versatur. Nam postquam pictorem laudavit, de se ipso dicere pergit: queritur, quod Amor non discedat a se, praesertim cum omnes vires sibi desint.

Iam advertamus oculos ad Ovidi elegiam:

Ov. II 9a: vv. 1—3 poeta queritur se ab Amore opprimi, quamquam eius castra semper secutus sit. 4—6: docet non esse, cur ille victoria glorietur, cum socium suum vicerit. 7—14: Exemplis allatis Amorem iniustum esse illustrat, quippe qui se semper vexet et alios neglegat. 15—16: homines satis multos esse, qui nondum doloribus Veneris affecti sint. 17—18: Etiam Roma urbs imperium suum semper propagavit. 19—24: Poeta dignus est, qui otio utatur, cum militia Amoris iam satis perfunctus sit.

9b: 25—26: siquis deus dicat: „vive posito amore“, se deprecari malle dicit. 27—34: Iterum amore fertur neque animum vincere potest. 35—38: itaque Cupidini non iam resistere constituit. 39—46: valde delectatur felicis amoris atque infelicis vicissitudine ipsa. 47—54: Quae efficitur ab Cupidine levi et inconstanti, quem rogat, ut sibi etiam porro imperet.

Dispicis compositionem atque dispositionem Ovidi elegiae magnopere differre a Properti carmine. Ovidi elegia alterius generis est ac Properti carmen. Priore parte elegiae (9a) Ovidius Amorem impellere studet, ut a se discedat i. e. Amori valedicere in animo habet. Sed celeriter se sine amore vivere non posse intellegit, quin etiam altera parte carminis exeunte (9b) Amorem rogat, ut sibi imperet. Affectio igitur animi poetae commutata

est[1]). Eum consulto habitum animi subito mutare, ut effectus magnus fiat, apparet. Qua ratione Ovidius dilucide demonstrare studet, qua inconstantia sit amans. Ovidius enim omnino non idem carmine suo assequi vult quod Propertius. Cum Propertius ab imagine Amoris alati profectus illum inconstantia, quae Amoris in ceteris propria sit, in se non uti illustret, Ovidius non disserit, num recte Amor alatus pictus sit, sed levitatem Amoris, qui ventosior alis ipsis est, se ipso argumento usus optime demonstrat. Quam ob rem carmen Ovidi e duabus elegiis (a et b) constare putare non licet. Qui duo carmina esse vult, quid Ovidius hac elegia demonstret, non recte intellexit. Cum carmen Properti ex argumento solo constet, quo Amorem volare non posse exponitur, Ovidius hoc argumentum apte carmini suo, quo inconstantiam Amoris decribere velle videtur, inseruit. Sententia, qua Propertius Amorem se deleto incommodo affici carmine exeunte illustrat, apud Ovidium non occurrit. Neque enim apta est in Ovidi elegia, quoniam poeta altera parte (9 b) se sine amore vivere non posse exponit. Quibus rebus demonstratis intellexeris carmen totum Ovidi ex imitatione Properti ortum non esse. Argumento pervulgato usus est, quo poetae erotici Amorem ex corde amantis removeri non posse exponunt. Arripuit nonnullas sententias a Propertio allatas et in usum suum convertit. Argumenta a Propertio deprompta Ovidius[2]) orationi intexuit, qua Amorem a se removere studet. Cum Propertius extrema demum parte Amorem alloquatur, Ovidius ab initio ipso eum alloquitur. Imprimis Ovidius argumentum imitatus est, quo Propertius inutile esse Amorem se perdere demonstrat.

---

1) Similis commutatio etiam in III 11 fit.

2) versum 11 („nos tua sentimus, populus tibi deditus, arma“) scripsisse videtur respiciens Tib. I 2, 97 sq.: „at mihi parce, Venus; semper tibi dedita servit mens: quid messes uris, acerba, tuas?“

Propertius extremo carmine libri primi de se ipso dicit. Patriam describit, in qua natus est. Sed cum ad id, quod primo disticho interrogatum est, non respondeatur, Leo [1]) conclusionem perisse, cum monobiblos sola vulgo ferretur, coniecit. Temporibus Augusti poetae nonnulla de vita sua libris suis referre solebant [2]). Quam consuetudinem a poetis Alexandrinorum ad Romanos transisse notum est. Temporis illius moribus etiam Ovidius indulsit, qui tertii libri extremo carmine de se ipso dicit.

Ov. am. III 15, vv. 1—2: poeta se elegias eroticas componere iam desiturum esse dicit. 3—4: elegias a se scriptas sibi magno decori esse putat. 5—6: Honesto genere equestris ordinis veteris natus est. 7—10: gentem Paelignam suo ingenio claram futuram esse dicit. 11—14: Sulmonem urbem hospites laudibus celebrabunt, quod poetam clarum tulit. 15—20: Poeta Amori et Veneri vale dicit, nam opera maiora perficienda sunt.

In hoc carmine componendo Ovidius Properti carmen supra commemoratum respexit. Nam liberius vagans Propertium secutus etiam de patria nonnulla rettulit [3]). Ut Propertius ita etiam Ovidius patriam describens ad res alludit, quae in illa regione gestae sunt.

Ov. III 15:

v. 3: quos (sc. elegos) ego composui, Paeligni ruris alumnus

8 sqq.: Paelignae dicar gloria gentis ego,
quam sua libertas ad honesta coegerat arma,
cum timuit socias anxia Roma manus.

∾ Prop. I 22:

vv. 1 sqq.: qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates,

1) Nachr. der Gött. Ges. d. Wiss. 1898. Heft 4.
2) Cf. Birt, Rhein. Mus. LXX.
3) Cf. Pohlenzii progr. Gott. pag. 4.

quaeris pro nostra semper amicitia.
si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
Italiae duris funera temporibus,
cum Romana suos egit discordia cives,
sic, mihi praecipue, pulvis Etrusca, dolor,
. . . .
9 sq.: proxima supposito contingens Umbria campo
me genuit terris fertilis uberibus.

Locis his similibus exceptis Ovidi elegia a Properti carmine non pendet. Nam ille longe aliud argumentum tractat, quoniam eum Amori vale dicentem libros Amorum illo carmine extremo concludere vidimus. Alludit ad III 1, 23/24: „tempus erat, thyrso pulsum graviore moveri; cessatum satis est: incipe maius opus!“

Ovidium et nonnulla de se ipso referre et se opera maiora incepturum esse dicere cognovimus. Utrumque argumentum simul uno carmine etiam Propertius affert. Prima enim elegia libri quarti poeta se iam *αἴτια* compositurum esse dicit et astrologum de patria sua verba facientem reddit. Quod carmen Properti qua ratione compositum sit, cognoscamus, ut recte disceptemus, quatenus Ovidius ab hac elegia pendeat. Carmen IV 1 Properti in duas partes dividendum est, quarum priorem versus 1—70, alteram 71—150 faciunt. Versibus 1—36 poeta hospiti cuidam Romam urbem maximam ostendit. Describit diserte, qua in condicione simplici proavi ibi fuerint. 37—56: Roma, quae antea minima erat, imperium maximum sibi paravit. Hanc urbem carminibus celebrare vult. 57—66: Tum Umbria patria superbiet libris Callimachi Romani tumefacta. 67—70: Orat Romam, ut operi suo faveat.

Quo loco si carmen finiretur, nihil amplius exspectares. Propertius se Callimachum Romanum futurum esse sperat, i. e. vult *αἴτια* componere more Callimachi.

Ab versu 71 altera pars carminis incipitur. Astrologus Propertio exponit eum id, quod velit, assecuturum non esse. Ut id quod dixit confirmet, patriam et genus poetae dicit, quae ex siderum positu cognovit (vv. 121 sqq.). Sed hanc partem alteram carminis Properti omittere licet, nam ratio inter Ovidi elegiam et Properti elegiae priorem partem solam intercedit. Ut Propertius se *αἴτια* scripturum esse exponit, ita Ovidius se ad opera maiora accessurum esse dicit. Sed Ovidium elegiam suam omnino ad exemplar carminis Properti scripsisse nequaquam dici potest, nam compositio et ratio sententiarum Ovidi carminis a Properti elegia plane diversa est.

Propertius optat, ut viatores, qui in urbem patriam suam venturi sint, illam laudibus celebrent, quae poetam tantum tulerit. Cf. vv. 63—66:

ut nostris tumefacta superbia Umbria libris,
    Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes quisquis cernit de vallibus arces,
    ingenio muros aestimet ille meo.

Hoc argumentum Ovidius imitatus in usum suum convertit: cf. vv. 7/8:

Mantua Vergilio, gaudet Verona Catullo;
    Paelignae dicar gloria gentis ego.
v. 11 atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
    moenia, quae campi iugera pauca tenent,
„quae tantum," dicat, „potuistis ferre poetam,
    quantulacumque estis, vos ego magna voco."

Respiciens ad carmina erotica, quae adhuc composuit, Ovidius extremo carmine tertii libri Amori vale dicit. Simul de genere suo et Prop. I 22 imitatus nonnulla de patria refert. Apte addit argumentum illud e Prop. IV 1 sumptum, quo hospites aliquando patriam suam laudaturos esse demonstrat. Propertium variavit: nam cum hic *αἰτίοις* componendis se clarum futurum esse speret,

Ovidius gloriam suam iam nunc Amoribus perfectis magnam esse putat. Ovidius viatorem verba facientem inducit, ut descriptionem vividam praebeat. Praeterea solito more rem pluribus verbis tractat quam Propertius. Imprimis autem argumentum auxit: hospes miratur Sulmonem urbem minimam poetam maximum tulisse.

Vidimus igitur Ovidium duo argumenta ex diversis Properti elegiis deprompsisse atque apte inter se coniunxisse.

IV.

Adhuc necessitudinem inter Properti et Ovidi elegias non intercedere vidimus nisi quod hic singulas sententias vel singula argumenta ex illo sumpsit. Nam Properti locos laudatos ad inventionem et compositionem totarum elegiarum ipsarum Ovidi nihil valuisse intelleximus. Iam autem longius progrediendum est. Nunc enim de iis carminibus Ovidi disserendum est, quibus in componendis Ovidius Propertium maxime secutus est. Quae carmina in tria genera dividere mihi liceat. Primo enim loco ea tractabo, quibus in scribendis Ovidius profectus est a loco quodam Properti. Hoc loco etiam ea carmina Ovidi tractabo, quae per se ipse composuit et disposuit, quamquam tota carmina Properti vel maiores partes carminum eius ansam dederunt. Secundo loco de iis carminibus disseram, quorum argumentum quidem ab Ovidio ipso inventum vel ex aliquo fonte haustum est, sed quae magna ex parte ad exemplar Properti carminis cuiusdam composita et disposita sunt. Tertio denique loco ea carmina tractanda sunt, quae omnino et inventione et compositione a Propertio pendere videntur.

a.

Iam ad eas elegias Ovidi accedamus, quae primi generis videntur esse.

Propertius elegiam (II 18b) scripsit, qua Cynthiam vituperat, quod crines inficit. Sententias has ille affert: turpe esse crines tingere (= vv. 23—28); etiam inutile esse, cum sibi satis formosa videatur, si modo saepe veniat (29—30); etiamsi aliae idem faciant, tamen id bonum non esse (31—32); poeta se natum esse ad Cynthiam servandam arbitratur, cui neque frater neque filius adsit.

Poetam elegiam stimulis amoris agitatum scripsisse manifestum est. Monet Cynthiam, ne inepto cultui indulgeat, timore adductus, ne illa elegantia sua rivales alliciat, quos ei ingratissimos esse per se intellegitur. Ut Cynthiam retineat, id quod faciat neque utile neque iustum neque decorum esse demonstrare studet. Propertium τελικὰ κεφάλαια quae vocantur secutum argumentari vides. Argumentum illud[1]) notissimum, quo ea, quae natura data sunt, recta esse illustratur, elucere intellegimus. Cf. v. 25: „ut natura dedit, sic omnis recta figura est.“ Idem argumentum Propertius carmine I 2 tractavit, quo Cynthiam cohortatur, ne nimis se ornet. Iam conferamus cum Properti elegia II 18b Ovidi carmen I 14, quo plurimis verbis in Cynthiam crines vexantem invehitur[2]).

Ov. I 14: Comae Corinnae, quas tinxit, effluunt (vv. 1—2). Erant spatiosae, tenues, bene coloratae (3—12). Facile erat eas comere (13—18). Corinna poetae pulchra videbatur, etiamsi comae mane non digestae erant (19—22). Comae formosae multa mala toleraverunt (23—34). Inutile est de earum interitu queri; Corinna enim ipsa sua manu eas perdidit (35—44). Alieni crines ei emendi erunt, quorum eam pudebit (45—50). Consolatur amicam: comae renascentur (51—60).

Ut Propertius eam puellam, quae prima[3]) crines

1) Cf. Philost. ep. 36 p. 478.

2) de crinibus infectis etiam art. am. III 163 sqq.

3) de εὑρήμασι cf. Leo pag. 152.

tinxit, ineptam appellat, ita Ovidius Corinnam alloquens eodem adiectivo utitur:

Prop. II 18b 27 sq.:

illi sub terris fiant mala multa puellae,
    quae mentita suas vertit inepta comas.

∾ Ov. I 14, 35:

    quid speculum maesta ponis, inepta, manu?

Ovidius Corinnam vituperat, quod comas tinxit et ipsa perdidit. Neque aliter ac Propertius statim alloquitur indignatus puellam. Compluribus causis allatis similiter ac Propertius Corinnam stultam esse demonstrat: inutile esse comas vexare, cum sponte deceant (v. 28), quin etiam scelus esse (v. 25). Discedit autem a Propertio, quod Corinnam sibi ipsi nocere maxime docet. Condicionem enim, in qua Cynthia apud Propertium est, mutavit: nam cum Propertius Cynthiam comas inficientem deprehendat, Ovidius fingit Corinnam iam diu monitus poetae neglegentem crines vexavisse ita ut illi perierint. Qua commutatione facta Ovidius effectum magnum assequi potuit. Nam inter se opponit crines nunc perditos corruptosque et crines, qui antea pulcherrimi fuerunt. Qua occasione data ἔκφρασιν longam inserit, qua comas formosas Corinnae celebrat. Qua in re describenda imaginem praebet: puellam ab ancilla ornatam, quae comas dociles nullo negotio digerere poterat, cogitatione sibi depingit (vv. 17 sqq.). Cui imagini aliam imaginem opponit: Corinna maesta speculum ponit, quo comas perisse vidit (v. 36). Neque solum Ovidius tempus perfectum et praesens respicit, sed etiam ad futurum spectat: si quis comas, quas Corinna emet, admirabitur, rubebit, quod propriae non sunt (v. 47). Talibus imaginibus intextis Ovidius perspicuam descriptionem efficit. Praeterea Ovidius, ne id omittam, Propertium amplificat. Nam cum Propertius ea de causa sola Cynthiam vituperet, quod

crines tingit, Ovidius Corinnam omnino quod comas vexat reprehendit. Maxime autem ea re Ovidius a Propertio discrepat, quod in eo argumento solo omne studium ponit, quo comas nimis vexari contra naturam esse demonstratur. Contra Propertius ad commodum suum spectat Cynthiam monens, ne crines inficiat. Timet enim, ut supra commemoravimus, ne rivales alliciantur. Vidisti igitur Ovidium a Properti carmine quidem profectum esse videri, sed carmen ipsum suum per se composuisse atque disposuisse, si ad summam spectas. Argumentum plurimis verbis accurate ex omnibus partibus pertractans quam maximum efficere studet.

Primi libri prima elegia Ovidius se aliquando carmina epica componere in animo habuisse, sed ab Amore impeditum esse exponit.

Ov. I 1, vv. 1—4: Poetae, qui carminibus epicis bella canere volebat, Cupido obstitit. Itaque poeta eum sibi imperare iniustum esse Amori exponit, cum vates Musarum sit (= vv. 5—12). Demonstrat eius regnum iam maximum esse, etiamsi ipse eum non sequatur; se enim amore non ardere (13—20). Amor nunc telum in poetam conicit et poeta Amorem nunc in pectore suo regnare sentit (21—26). Iam carminibus epicis vale dicit et se elegias scripturum esse dicit (27—30).

Carmen hoc Ovidius condidit, ut prologus Amorum esset, quo legentes cognoscerent, quae argumenta illis libris continerentur. Etiam Propertius prima elegia libri primi se amoris inflammatum esse i. e. se carmina erotica afferre explicat. Ab hac elegia Properti Ovidi carmen ea re magnopere differt, quod Propertius argumentum non affert, quo poesis epica et elegiaca inter se opponuntur. Quod argumentum plurimum valet in Properti libri secundi elegia prima, quae nobis inspicienda est accuratius.

Prop. II 1: Cynthia poetae ingenium facit, ut semper

carmina amatoria condere possit (vv. 1—16). Si carmina epica componere posset, non res gestas heroum vel bella aliqua caneret, sed facta Augusti simul Maecenatem celebrans (17—38). In sua quisque arte, cuius peritus est, vitam degat (39—46). Cynthiae semper fidus manebit (47—56). Amor morbus est, qui nulla medicina sanari potest (57—70). Maecenatem cohortatur, ne sui a puella dura perditi obliviscatur (71 sqq.).

Propertius sibi a natura tantum ingenium datum esse, ut carmina epica scribere possit, negat; se elegos solos parvos componere posse dicit. Est illud argumentum notissimum, quo poetae elegiaci saepe utuntur[1]). Ut Propertius poesin epicam et elegiacam inter se opponit, ita Ovidius se principio carmina epica condere voluisse, sed ab Amore ad amatoria componenda coactum esse dicit. Uterque poeta se amore victum neque sua sponte poesi amatoriae operam dare exponit. Propertius versum durum carminis epici molli versui elegiae opponit: cf. vv. 41 sq.:

nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos.

Hunc locum Ovidius ante oculos videtur habuisse, nam cf. vv. 1 sq.:

arma gravi numero violentaque bella parabam
edere, materia conveniente modis.

Maxime respice utrumque poetam verbo conveniendi uti.

Etiam illud argumentum, quo Propertius suo quem-

---

1) Cf. Prop. III 9, de quo carmine infra accuratius dicam (p. 48 sq.) et III 3, quo se a Calliope poetam eroticum inauguratum esse narrat. Cf. etiam I 7. I 9. II 34. — Ov. II 1, de qua elegia infra accuratius disserendum erit (p. 47 sq.), et III 1, ubi poeta argumentum variavit fabulam de Hercule in bivio in usum suum convertens, quam saepe in rhetorum scholis tractatam esse constat (cf. Alpers, Hercules in bivio, Diss. Gotting. 1912, pag. 42).

que ingenio accommodatae arti studere oportere illustrat, Ovidius affert et quidem magnopere variatum. Nam cum Propertius illo argumento usus se amore affectum ad genus epicum transiturum non esse dicat, Ovidius Amorem monet, ne fines regni sui transeat: se vatem Pieridum esse neque sub imperio eius esse. Ut Propertius complura exempla e vita depromit ad sententiam suam illustrandam (vv. 43 sqq.), ita Ovidius sex exempla deorum affert, ut non licere alterum alterius officio operam dare demonstret (vv. 7—12).

Itaque Ovidium in elegia prima primi libri componenda a Properti carmine II 1 profectum esse putem. Ad compositionem autem ipsam et dispositionem Properti carmen non multum valuit. Nam Ovidius ratione alia ac Propertius utitur. Cum enim Propertius a Maecenate monitus, ut ad aliud genus poeseos transiret, se carmina epica condere non posse, cum ingenium se deficiat, libere profiteatur, Ovidius eandem sententiam indulgens ingenio suo narratione exprimit. Narrat sibi carmina epica componenti Amorem obstitisse. Poeta tum eum alloquitur et a se removere studet. Amor autem verba non facit, sed statim telum suum in poetam invitum conicit. Iam poeta victus se carmina amatoria compositurum esse explicat. Hanc narrationem, quae est vivida et perspicua, omnino ex Ovidi ingenio natam esse apparet. Amorem deum quasi viventem poeta ante oculos nostros proposuit: videmus eum poetam irridentem (v. 3 „risisse Cupido dicitur"), sagittam e pharetra sumentem, arcum contendentem, telum iacientem.

Cum Propertius serio atque intento studio se poemata epica scribere non posse exponat, Ovidius rem in iocum vertit. Cum Propertius revera a Maecenate admonitus esse videatur, ut ad genus epicum accederet, Ovidius omnia fingit. Neque igitur eum carmina epica aliquando scribere voluisse putes.

Idem carmen Properti (II 1), de quo disseruimus, Ovidius etiam in libri secundi elegia prima componenda respexit.

Ov. II 1: Etiam carmina sequentia poeta iussu Amoris scripsit (vv. 1—4). Pueri et puellae amore inflammati ea legant (5—10). Ausus erat quidem carmina epica condere, sed destitit ianua a puella clausa (11—20). Tum poeta denuo carmina blanda composuit, quibus amicae animum sibi reconciliavit (21—22). Exempla afferuntur, quibus carminibus maximum effici demonstratur (23—28). Carmina heroica ad puellae animum movendum nihil valent (29—32). Merces magna carminibus blandis datur, cum puella victa veniat. Itaque poeta carminibus heroicis vale dicit et carmina amatoria componere vult (33—38).

Vides Ovidium iterum carmina epica et amatoria inter se opponere. Non aliter atque in I 1 poeta se carmina epica scribere in animo habuisse atque denuo impeditum esse exponit. Sed Ovidius variatione usus est. Neque enim iterum Amor ei obstitit, quoniam poeta non iam amore intactus est, sed amica fores clausit. Qua re commotus est, ut statim denuo carmina amatoria componeret. Ut Propertius tantum carmina amatoria componere potest, cum plane amore Cynthiae vinctus sit, ita Ovidius a poesi epica desistit, cum Corinna eum excludat. Utrumque poetam plane amore ardere neque sine amica vivere posse intellegimus. Properti carmen II 1 denuo Ovidio obversatum esse etiam e sequentibus locis similibus elucet. Propertius, ut supra demonstravimus, dixerat, si carmina epica componere posset, se non argumenta e fabulis mythologicis sumpta tractaturum, sed res ab Augusto gestas celebraturum esse. Argumentorum heroicorum vel mythologicorum affert exempla haec:

vv. 19 sqq.:

non ego T i t a n a s canerem, non O s s a n O l y m p o
impositam, ut caeli P e l i o n esset iter.

non veteres Thebas nec Pergama, nomen Homeri,
Xerxis et imperio bina coisse vada

. . . .

Etiam Ovidius argumenta heroica et mythologica affert: cf. vv. 11sqq.:

ausus eram, memini, caelèstia dicere bella
centimanumque Gygen (et satis oris erat),
cum male se Tellus ulta est, ingestaque Olympo
ardua devexum Pelion Ossa tulit.

. . . .

Pergit vv. 29sqq.:

quid mihi profuerit velox cantatus Achilles?
quid pro me Atrides alter et alter agent,
quique tot errando, quot bello, perdidit annos,
raptus et Haemoniis flebilis Hector equis?

Talia exempla enumerantes poetas τόπον quendam sequi nobis putandum est. Propertius etiam in III 9 similia affert: cf. vv. 37sqq.:

non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi, nec septem proelia clade pari
nec referam Scaeas et Pergama, Apollinis arces

vv. 47/48:

te duce vel Jovis arma canam caeloque minantem
Coeum et Phlegraeis Eurymedonta iugis.

Fortasse Ovidius hoc quoque carmen Properti respexit. Quo Propertius idem fere argumentum tractat atque II 1:

Prop. III 9: Poeta Maecenatem se impellere miratur, ut ad opera accedat, quibus sufficere non possit (vv. 1—8). Exemplis multis allatis homines vario ingenio praeditos esse demonstratur (9—20). Poeta se exemplum Maecenatis, qui ipse sinus plenos velorum suorum subtrahat, imitari velle dicit (21—34). Non se carmina epica componere velle, sed vestigia Callimachi potius

sequi in animo habere explicat (35—46). Tamen se Maecenati obsecuturum esse pollicetur, si ille sibi faveat (47—60).

Carmina epica et elegiaca Propertius iterum inter se opponit, sed discrepat ab Ovidio ea re maxime, quod se amore puellae coactum amatoria carmina componere non iam dicit.

Carmen ipsum Ovidium plane per se conformavisse intellegis. Variavit argumentum e Propertio depromptum: sententiam gravissimam in Ovidi carmine eam esse cognoscimus, qua animum puellarum non carminibus heroicis, sed amatoriis sive blandis solis flecti posse demonstratur. Est locus communis, quo puellas libris ad heroas vel ad res naturales pertinentibus non moveri illustratur[1]. Fortasse etiam alium locum Properti hac in re exponenda respexit: cf. Prop. I 9, 11—14:

plus in amore valet Mimnermi versus Homero.
  carmina mansuetus lenia quaerit Amor.
i quaeso et tristes istos compone libellos
  et cane, quod quaevis nosse puella velit.

∼ Ov. II 1, 21 sq.:

blanditias elegosque levis, mea tela, resumpsi:
  mollierunt duras lenia verba fores.

cf. etiam Prop. I, 9, 9—10:

quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen
  aut Amphioniae moenia flere lyrae?

∼ Ov. II 1, 29:

quid mihi profuerit velox cantatus Achilles?

Utrum revera hunc locum Properti ante oculos habuerit an non, pro certo dici non posse videtur, cum et

---

1) Cf. Prop. II 34, 45 sqq. 51 sqq. Similiter Tib. II 4, 15 sqq. dicit: „ite procul Musae, si non prodestis amanti, non ego vos, ut sint bella canenda, colo . . .“.

argumentum notissimum sit et singula verba non nimis similia sint. Sed utcumque res se habet, denuo cognoscimus Ovidium carmen suum totum plane de suo conformavisse, nam ratio sententiarum in Properti carmine I 9 maxime ab Ovidi elegia discrepat: Propertius irridet Ponticum amicum poetam epicum, cui nunc puella imperat, et eum cohortatur, ut poesi epica omissa carmina erotica componat, quibus in gratiam puellarum venire possit.

Quomodo Ovidius hoc argumento pervulgato usus est? Praebet iterum narrationem, quae quidem brevissima est, vel actionem quandam saltem, ut ita dicam: cum carmina epica componere coepisset, Corinna ianuam clausit. Imaginem Ovidium suo more praebere videmus. Quomodo simul acumen quoddam afferre voluit: neque enim queritur lamentaturque multis verbis, quod Corinna de se moleste ferat, sed statim breviter dicit: „clausit amica fores“ (v. 17). Denuo Ovidium prompto animo ad iocandum esse vides: ianua ab amica clausa Iovem, quem celebrare volebat, statim neglegit. Quem orat, ut sibi ignoscat. Interest enim magis poetae amicam sibi reconciliare quam Iovem celebrare. Continuo assecutus est, quod voluit: verbis lenibus commota puella fores reseravit. Deinde (ab v. 23 sqq.) occasione data describit Ovidius, quantum carminibus talibus effici possit. Tum redit, unde aberravit, dicens nihil sibi profuturum fuisse, si heroas celebravisset. Itaque carminibus heroicis vale dicit et se carmina, quae Amor sibi dictet, scripturum esse promittit.

Ovidius carmine III 14 Corinnam admonet, ut famae suae rationem habeat. Qua in re a Properti carmine II 32 pendet.

Propertius Corinnam vituperat, quod saepe locos ab urbe remotos petit; frustra eam simulare se taedium urbis cepisse (vv. 1—16). Cynthiam enim non urbem,

sed se ipsum fugere poeta opinatur (17—20). Nisi rationem sui habere velit, ipsius famam respiciat (21—24). Sed iam poeta, ne animum Cynthiae nimis offendat, rem deminuere studet. Dicit se parvis criminibus non moveri (25—30). Deas enim idem fecisse atque Romae imprimis mores corruptos esse (31—62).

Propertium initio Cynthiam quidem vituperantem et accusantem, sed mox omnino ei obsequentem videmus. Ne eam offendat, illam ut se respiciat rogare non audet, sed eam suae ipsius famae nocere caute significat. Cf. v. 21 sq.:

sed de me minus est: famae iactura pudicae
tanta tibi miserae quanta meretur erit.

Hoc argumentum Ovidius usurpavit atque omnibus ex partibus auctum et amplificatum pertractavit. Cum Propertius leviter id attingat, Ovidius ex eo totum carmen fecit.

Ov. III 14: Versibus 1—4 [1]) poeta Corinnam alloquens dicit se non recusare, ne illa peccet, sed ipse peccata eius audiat. Stultum esse ea quae nocte lateant in luce fateri, quomodo fiat, ut per ora hominum feratur. Operam det, ut pudica videatur. Ceteris in rebus faciat, quodcumque velit (5—16). In lecto lasciviae summae indulgere licere (17—26). Sed ubi primum tunicam induerit, pudorem redire opus esse (27—28). Sinat se nescium credulitate sua stulta frui, sed vestigia deleat, quibus eam perfidam esse cognoscat (29—34). Si famae suae parcere dubitet, se ipsum quidem respiciat (35—40). Se

1) Ovidio in initio carminis componendo („non ego, ne pecces, cum sis formosa, recuso . . . .“) Catulli carminis 76 vv. 23 sq. observati esse videntur: „non iam illud quaero, contra ut me diligat illa, | aut quod non potis est, esse pudica velit . . .“. Sed cum Catullus haec verba serio faciat, Ovidium ludere videmus. Loco laudato excepto nulla ratio inter Catulli carmen et Ovidi elegiam intercedit.

nihil inquisiturum esse; etiamsi media in culpa deprehensa neget, tamen se ei crediturum esse (41—50).

Ovidius Corinnae exponere studet infamiam ei impendere, nisi operam det, ut peccata lateant. Verbum famae, quo Propertius v. 21 usus est, Ovidius compluries affert:

v. 6:

solaque famosam culpa professa facit.

et v. 11:

tu tua prostitues famae peccata sinistrae

et v. 36:

si dubitas famae parcere, parce mihi!

Ovidium et Propertium, quamquam puellis idem suadent, tamen maxime inter se differre apparet. Nam cum Propertius Cynthiam impellere studeat, ne iam cum aliis peccet, Ovidius Corinnae permittit, ut faciat quodcumque velit ea condicione sola, ut peccata neget et se pudicam esse simulet, i. e. ut dilucide dicam, Propertius Cynthiam revera pudicam esse, Ovidius Corinnam simulare vult. Verbum „pudicus", quod Propertius bis praebet, Ovidius semel atque iterum affert: cf. Prop. v. 21:

sed de me minus est: famae iacturae pudicae . . . . .

et v. 55:

dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum

Ov. v. 3:

nec te nostra iubet fieri censura pudicam

v. 13:

sit tibi mens melior, saltemve imitare pudicas

cf. etiam vv. 18, 21, 28.

Ovidius sententias a Propertio allatas variat vel in contrarias vertit. Nam cum Propertius se non ignorare Cynthiam fraudem parare neque sibi fidem servare dicat (vv. 17 sqq.), quapropter eam orat, ut famae saltem parcat, Ovidius ipse Corinnam cohortatur, ut se fallat.

Neque enim solum efficere vult, ut populus eam pudicam esse putet, sed etiam ipse decipi vult. Cf. v. 29 sq.: „Da populo, da verba mihi; sine, nescius errem, | et liceat stulta credulitate frui!“ Itaque cum Corinnam monet, ut famae parcat, id agit, ut suis commodis consulat: v. 36: „si dubitas famae parcere, parce mihi!“ Contra Propertius commoda Cynthiae solius respicere videtur, quam ut rationem famae suae habeat rogat. Consulto Ovidius omnem modum excedit atque argumentum maxima perpetuitate et constantia pertractat. Corinnam monet, ut omnia peccata neget, quin etiam in culpa ipsa deprehensa ea neget, quae bene sibi visa fuerint [1]). Auget etiam hac re Propertium. Hic dicit se criminibus parvis non moveri vv. 29 sq.: „sin autem longo nox una aut altera lusu | consumpta est, non me crimina parva movent.“ Ovidius non modo criminibus parvis non movetur, sed peccatis Corinnae omnino non offenditur, dummodo illa facta neget et se pudicam esse simulet. Propertius ut se ipsum consoletur, quoniam Cynthiam retineri non posse, quin cum aliis peccet, sentit, etiam deas idem fecisse et Romae mores omnino perditos esse docet. Quamobrem illi ignoscens concedit, ut libera iudicio suo vivat (cf. vv. 61 sq.). Ovidium quoque Corinnam criminibus omnino non afficere vidimus. Neque vero ut Propertius investigare studet, quae causae Corinnae excusationem dent, neque eam peccare mirum putat. Corinnam omni honestate et pudicitia carentem finxit, quae ne palam quidem peccata sua referre veretur (cf. v. 8).

Propertius (v. 28 sq.) dixerat se Cynthiae ignoscere, nocte una aut altera lusu longo consumpta. Quam sententiam Ovidius suo more multis verbis et summo colore tractat. Delectatur lascivia describenda, qua in concu-

1) Cf. Ov. Am. II 2, 55 sqq.: „culpa nec ex facili quamvis manifesta probatur: | iudicis illa sui tuta favore venit. | Viderit ipse licet, credet tamen ille neganti | damnabitque oculos et sibi verba dabit.“

bitu uti Corinnam ipse iubet (cf. vv. 17 sqq.). Sed cum in lecto omnem pudorem abesse velit, Corinnam cohortatur, ut opere obsceno perfecto se pudicam omnino esse simulet. Apparet Ovidium consulto, ut effectus fieret et animus legentium moveretur, lasciviam maximam in lecto et pudicitiam simulatam inter se opposuisse. Cf. v. 18: deliciis inple, stet procul inde pudor! et v. 28: et pudor obscenum diffiteatur opus.

Propertius morbum Cynthiae cyclo carminum trium narravit, quo Ovidius ad elegiam scribendam videtur commotus esse, qua etiam Corinnam aegrotare finxit.[1]

Prop. II 28 a: Poeta Iovem implorat, ut Cynthiae aegrotantis misereatur (vv. 1—4). Cynthia culpa sua morbo affecta est, quod periuria fecit et pulchritudine sua nimis elata fuit (5—14). Tamen poeta ei extremo die molliorem horam venturam esse sperat exemplis heroinarum quattuor allatis (15—24). Sin forte fato nunc ei moriendum sit, Cynthiam consolatur dicens heroinas ei in Orco locum primum tributuras esse, cum pulcherrima sit (25—30). Sperat autem Iovem misericordem se praestaturum esse et Iunonem coniugi ignoturam esse, si puellae formosae eum misereat (31—34).

b: Periculum, in quo Cynthia versatur, auctum est. Artibus magicis poeta omnino non prodesse potuit (35—38). Poeta Iovem rogat, ne se ipsum una cum amica perdat (39—42). Se ipsum et Cynthiam, si servata sit, deo gratiam magnam relaturos esse pollicetur (43—46).

c: Hortatur tum Persephonen, ut se clementem praebeat (47—48) atque orat, ut sinat, cum apud infernos tot milia formosarum sint, unam pulchram in superis relinqui (49—58). Deinde Cynthiam, quoniam magno periculo iam dimissa est, adhortatur, ut et deis gratiam referat et sibi ipsi noctes votivas solvat (59—62).

Vides Propertium describere Cynthiam graviter ae-

grotavisse et ex morbo recreatam esse. Artificiose primum morbum ingravescere, deinde minui fingit. Primo carmine deos implorat, cum Cynthia in morbum inciderit, altero poeta Iovem vehementius obsecrat, cum morbus ingravescat, tertio Cynthiam servatam esse illustrat. Tres gradus morbi a Propertio describuntur: primum Cynthia in periculo versatur, deinde periculum auctum est, tum periculum sublatum est. — Transeamus ad Ovidium!

Ov. II 13: Corinna, quae fetum ventris abigere studuit, periculose aegrotat (vv. 1—2). Poeta metu affectus ei irasci non potest, praesertim cum eam ex se concepisse credat (3—6). Itaque Isidem deam implorat obsecratque, ut puellae misereatur et in illa etiam sibi ipsi parcat (7—16). Etiam Ilithyiam rogat, ut Corinnae adsit (17—22). Promittit se Corinna servata gratiam iis relaturum esse (23—26). Corinnam monet, ut periculum hoc sibi documento habeat, ne idem iterum faciat (27—28).

Cum hac elegia arte cohaeret II 14.

Ov. II 14: Puellae, quamquam bellis non intersunt, vulnera patiuntur, quae sibi ipsae inferunt (vv. 1—4). Poeta in eam invehitur, quae prima fetum ventris abegit (5—6). Si idem mos matribus antiquis atque Corinnae placuisset, gens hominum perisset; etiam Corinna nata non esset (7—22). Opus est sinere matura sua sponte fluere et nata crescere (23—28). Non est causa, cur puellae fetum perdant (29—36). Si id faciunt, merito poenae iis solvendae sunt (37—40). Deos poeta orat, ut nunc Corinnae ignoscant. Si iterum idem fecerit, poenas ei dandas esse dicit (41—44).

Propertius non dicit, qualem in morbum Cynthia inciderit. Quam sua culpa morbo affectam esse putat, quod deorum animum offendit, quos eam morbo multavisse suspicatur: cf. v. 5 sq.:

sed non tam ardoris culpa est neque crimina coeli
quam totiens sanctos non habuisse deos.

Propertium secutus Ovidius etiam Corinnam sua culpa aegrotare fingit: cf. II 14, 44:

poenam culpa secunda ferat.

Differunt autem poetae inter se ea re, quod Propertius Cynthiam sua culpa in morbum incidisse tantum opinatur, sed Ovidius scelere revera admisso Corinnam aegrotare fingit, quae fetum ventris abegit. Quod argumentum etiam epistolographos saepius tractavisse e Theophylacti ep. 30 et Charitonis II 9, 3 elucet[1]. Itaque fortasse dubites, an Ovidium argumentum usitatum tractantem a Propertio hac in elegia (II 13) componenda pendere demonstrari possit. At rem ita se habere intellegimus, si sententias locosque similes, quos uterque praebet, satis respicimus. Ut Propertius deos implorat, ita Ovidius superos rogat, ut Corinnae adsint. Similiter ac Propertius Ovidius amica servata se deis gratiam relaturum esse pollicetur: cf. Prop. v. 43 sq.:

pro quibus optatis sacro me carmine damno.
scribam ego: „per magnum salva puella Iovem"

∾ Ov. II 13, v. 23 sq.:

ipse ego tura dabo . . . | ipse feram . . munera vota . .
25: adiciam titulum „servata Naso Corinna."

Imprimis simillimi sunt hi loci:

Prop. v. 41 sq.:

si non unius quaeso miserere duorum:
vivam, si vivet, si cadet illa, cadam.

∾ Ov. II 13, 15 sq.:[2]

huc adhibe vultus, et in una parce duobus:
nam vitam dominae tu dabis, illa mihi.

---

1) Heinemann (Epistulae amatoriae quomodo cohaereant cum elegiis Alexandrinis. Diss. Argentorat. 1910) hoc argumentum in scholis declamatorum tractatum esse putat, pag. 70.

2) Similiter dicit Tib. IV 4, 19 sq.: „Phoebe, fave: laus magna tibi tribuetur in uno | corpore servata restituisse deos." Fortasse

Propertius Cynthiam e morbo recreatam Iovi gratias acturam esse dicit: cf. v. 45 sq.:

ante tuosque pedes illa ipsa operata sedebit
narrabitque sedens longa pericla sua.

Qui locus conferendus est cum Ovidi II 13, 17 sq.:

saepe tibi sedit certis operata diebus,
qua tangit laurus Gallica turma tuas,

ubi Ovidius Isidem, ut auxilium amicae ferat, Corinnam eius sacra saepe coluisse admonet. Vides Ovidium tempus mutasse pro futuro Properti praeteritum afferens. Hoc loco Ovidium fortasse etiam Tibulli I 3, 29 sqq.[1]) ante oculos habuisse cogitari potest. Ibi Tibullus in Corcyra aegrotans Isidem monet, ut sibi succurrat, atque Deliam sacris ei faciendis affuturam esse promittit. Aeque ac Tibullus Ovidius Isidem implorat, ut auxilium ferat. Tibullus (vv. 23 sqq.)[2]) interrogat, quid sibi profuerit, quod Delia Isidis sacra tam saepe coluit. Deliam non aliter ac Corinnam Isidem deam coluisse vides.

— Propertius extremo demum carmine Isidis mentionem facit (nomen eius non affert): v. 61: redde etiam excubias divae nunc ante iuvencae. — Discedit Ovidius a Tibullo, quod hic auxilium ab Iside sibi ipsi, ille amicae petit.[3])

Ovidium etiam hunc locum simul respexisse dicat quis. Compositio distichi Properti disticho Ovidi similior est. Inter Tibulli carmen et Ovidi elegiam loco laudato excepto nulla necessitudo intercedit.

1) „ut mea votivas persolvens Delia voces | ante sacras lino tecta fores sedeat bisque die resoluta comas tibi dicere laudes | insignis turba debeat in Pharia . . . .“

2) „quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt | illa tua totiens aera repulsa manu, | quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari . . . .?“

3) Poetae erotici Isidem deam, ut ita dicam, in deliciis habent, quam saepissime afferunt: cf. Ov. I 8, 74; II 2, 25. Prop. II 33, 1—2; IV 5, 34. Tib. I 6, 36.

Occasione data Ovidius utitur, ut deam sollemni allocutione obsecret (v. 7—15), ut auxilietur. Re ipsa adducitur, ut etiam alteram deam imploret, Ilithyiam, quae mulieribus parturientibus adest.

Etiam hac re quodammodo poetae inter se consentiunt: uterque amicam monet, ut animum submittat. Ut Propertius Cynthiam hortatur, ut deis, quos eam offendisse putat, supplicet, ita Ovidius Corinnam admonet condicionem mutatam respiciens, ut hoc periculum primum subisse satis habeat.

Si in universum Ovidi carmen II 13 cum Properti carmine comparas, illum carmen multo brevius quam hunc composuisse cognoscis, qui nonnumquam tamquam a proposito aberrare videtur, ut est poeta vere elegiacus.

Ovidium quidem ad exemplar Properti morbum Corinnae finxisse, sed elegiam singulis locis exceptis, quibus Propertium respexit, per se formavisse intelleximus. Accedit quod alteram elegiam composuit, quae cum II 13 arte cohaeret, omnino non Propertium imitatus. Qua elegia II 14 in universum de scelere, quod Corinna admisit, disserit. Praecepta rhetorica[1]) secutus Ovidius nefas esse fetum ventris abigere exponit. Dicit enim, quid factum esset, si omnes mulieres hac ratione usae essent. Ad Corinnam ipsam extremo demum carmine redit, ubi optans, ne id perficiatur, quod cupiverat (nefarias puellas merito perire), deos orat, ut hoc tempore Corinnae ignoscant: cf. v. 43:

> di faciles, peccasse semel concedite tuto,

quo loco imitatus est Tib. I 9, 5 sq. „parcite caelestes; aequum est impune licere | numina formosis laedere vestra semel."

Verbis ultimis elegiae (v. 44):

> et satis est; poenam culpa secunda ferat.

---

1) Cf. Heinemann, l. l. pag. 70.

dilucide nos admonet II 13, 28:

hac tibi sit pugna dimicuisse satis!

Repetit igitur monitum, quod Corinnae dat. Iterum eum dilucide illustrare Corinnam sua culpa aegrotare videmus.

Propertius carmen scripsit, quo de tabellis amissis agitur. Est III 23:

Poeta queritur, quod tabellas amisit, quae quidem usu detritae, sed ei maximo usui fuerunt (vv. 1—10). Animo fingere studet, quid amica in tabellis remittendis inscripserit (11—18). Dolore afficitur deliberans, cuius in manus illae fortasse pervenerint (19—20). Poeta ei, qui ei tabellas rettulerit, se aurum donaturum esse promittit, quod puerum in columna proponere iubet (21—24).

Etiam Ovidius duas elegias scripsit, quibus de talibus tabellis agitur, quibus poeta et Corinna non aliter ac Propertius et Cynthia inter se communicant. Duo carmina illa Ovidius ita composuit, ut inter se responderent et complerent.

Ov. I 11: Poeta Corinnae tabellas mittit.

Napen ancillam Corinnae, quae poetam ministeriis ad amorem furtivum pertinentibus bene adiuvat, tabellas ad dominam perferre iubet (vv. 1—8). Eam monet, ut sibi adsit, praesertim cum ipsa arcus Cupidinis senserit (9—14). Iterum Napen tabellas dominae reddere et sibi favere iubet (15—24). Si quod vult assecutus erit, tabellas, fidas ministras, Veneri dedicabit (25—28).

Carmine I 12 poeta describit, quantum dolorem ex responso, quod tabellae remissae rettulerunt, perceperit.

Tabellae tristem nuntium attulerunt, cum Corinna eum venire non iubeat (vv. 1—2). In omen funestum poeta vertit, quod Nape ad limen digitis icta restitit, cum ad Corinnam discedere vellet (3—6). Devovet tabellas et ceram. Is, qui eas perfecit, homo im-

probus fuit; arbor, quae lignum praebuit, crux fuit (17—20). Poetam paenitet amores suos commisisse talibus tabellis, quibus iterum nunc male precatur (21—30).

Quamquam Properti et Ovidi elegiae magnopere inter se dissentiunt, tamen Ovidius multum a Propertio pendet. Exsistit quaestio haec: Quod argumentum a Propertio allatum Ovidius deprompsit vel excepit? Qua re est commotus, ut novum carmen conderet?

Propertius et Ovidius plane ea re inter se consentiunt, quod tabellas suas plurimum valere demonstrant. Neque enim illas ut res inanimatas, sed potius tamquam animantes et sensu praeditas inducunt. Propertius cogitans his tabellis, quibus cum amica dulces sermones contulit, avarum quendam nunc fortasse uti ad rationes scribendas horrescit. Qua calamitate maiore tabellae affligi non posse poetae videntur. Hoc Ovidius in usum suum convertit, qui similiter tabellas gravi poena affici putat, si avarus vel cognitor aliqui iis utitur. Cf. Prop. vv. 16 sqq.:

et quaecumque dolens reperit non stulta puella,
garrula cum blandis ducitur hora dolis;
me miserum! his aliquis rationem scribit avarus
et ponit duras inter ephemeridas.

∼ Ov. vv. 23 sqq.:

aptius hae capiant vadimonia garrula cerae,
quas aliquis duro cognitor ore legat.
inter ephemeridas melius tabulasque iacerent,
in quibus absumptas fleret avarus opes.

Sed Ovidius variatione utitur et rem in contrariam vertit. Nam cum Propertius timeat, ne tantam calamitatem accipiant, Ovidius id ipsum optat, ut tabellae poena afficiantur.

Consulto Propertius, ut rem augeat, avarum, hominem turpem, tabellis uti ad rationes scribendas dicit.

Ovidius rem etiam magis auget: avarus deflet opes absumptas in iis. Uterque tabellis magnum malum inferri putat, si inter ephemeridas iaceant. Praeterea Ovidius, ne id omittam, locum Properti solito more amplificavit optans, ut vadimonia in iis inscribantur, quae ab cognitore legantur. „Cognitor duro ore legat“ Ovidius sollerter Propertium varians optat, ut hanc rationem legendi sensibus et susurris lenibus amantium, ut ita dicam, opponat.

Quodsi ad totum carmen spectas, Ovidium condicionem, in qua se esse animo fingit, longe aliam fecisse vides atque in qua Propertius versatur. Nam, cum Propertius queratur, quod tabellae perierunt, Ovidius tabellas tristem nuntium rettulisse dolet. Initium carminis Properti Ovidium ante oculos habuisse manifestum est: cf. Prop. v. 1:

ergo tam doctae nobis periere tabellae.

∾ Ov. I 12, 1:

flete meos casus: tristes rediere tabellae.

Non aliter ac Propertius initio ipso Ovidius statim id dicit, quod accidit. Apparet Ovidium id spectavisse, ut legentes locum Properti carmini similem esse cognoscerent atque elegiam suam cum illo comparantes intellegerent, quid ipse Propertium varians consequi posset. Ex argumento variato — quod pro tabellis amissis Properti tabellas tristem nuntium afferentes finxit — variatio sententiarum ceterarum sequitur. Cum Propertius de tabellis amissis doleat, Ovidius illas devovet diras profundens, quem locum ab Alexandrinis poetis excultum ab Romanis acceptum et elaboratum esse constat. Ovidius cum his diris in fabricatorem et in arborem invehitur, id optat, quod Propertius timet, ne tabellis accidat i. e. ne in manus avari perveniant. Sententiae ita inter se nexae sunt: cum cera et lignum funebria sint — Ovidius

v. 7 tabellas „funebria ligna“ nominat, similiter „inutile lignum“ v. 13; etiam Propertius parte pro toto usus dicit v. 22: „ligna retenta“, — non mirum est tabellas non aptas esse, quibus amator amicae blanda verba scribat, sed melius est avarum aliquem ad rationem scribendam iis uti. Quamquam autem Ovidium locum Properti sollerter in usum suum vertisse atque apte rationi sententiarum inseruisse concedas, tamen sententia in Properti carmine magis naturalis videtur esse, quantum equidem iudicare possum. Ovidius rem ratione auget, ut sententias maxime inter se contrarias efficiat. Tabellas, quae ei ministrae fidissimae fuerunt et quas victrices se lauro redimiturum esse pollicitus est (cf. I 11, 25 sqq.), nunc tristi nuntio allato nihil valere et gravissima poena dignas esse putat.

Adhuc tantum de Ovidi I 12 disseruimus, iam autem ad I 11 transeamus. Duo carmina Ovidium ita composuisse, ut inter se complerent, supra diximus. In I 11 poeta ancillam inducit, quae litteras inter amantes perfert. A quo argumento adhibendo Ovidius, quoniam de tabellis inter amantes missis disserit, non longe aberat. Ancillae in libris scriptorum eroticorum saepe occurrunt. Cum permultum apud dominam valeant, amatores earum animum sibi conciliare opus est. Diserte Ovidius utile esse amantem gratiam earum inire art. amat. I 351—398 exponit. Ancillae nostro in carmine poeta multa consilia et monita dat, ut dominam impellat, ut multa rescribat etc. Poeta etiam uno verbo, „veni“ contentus est: cf. v. 24: „hoc habeat scriptum tota tabella: veni.“ Quocum loco conferendus est Prop. v. 15: „venies hodie, cessabimus una“, quae verba fortasse Cynthiam scripsisse poeta cogitatione sibi depingit. Sed cum Ovidius ancillam induxit, tabellae in I 11 non multum valent. Extremo demum carmine poeta plus iis tribuit, ubi eas ministras fidas esse dicit. Contra in I 12 ancilla omnino

recedit et de tabellis solis agitur, in quas poeta omnem furorem effundit.

Exspectares vero poetam ancillam potius, cui monita multa dederat, vituperaturum esse. Ut ancillam iam plane omitteret — versibus 3—6 exceptis, ubi in omen funestum vertit, quod Nape ad Corinnam discedens digitis ad limen icta restitit —, Ovidium imitatione Properti adductum esse apparet.

Propertius et Ovidius carmina duo composuerunt, quibus se semper amore inflammatos esse exponunt. Quae carmina accuratius inter se conferenda sunt.

Prop. II 22: Propertius amicum Demophoontem alloquens cum ubique puellas sibi placere tum theatra sibi exitio nata esse dicit (vv. 1—6). Nam ibi puellam quaerit, sive candida pectore sedet sive crines in frontibus eius errant (7—12). Ut natura unicuique vitium, ita ei semper aliquid amare dedit (13—20). Amico, qui poetam Venere nimis culta extenuari putat, se officium suum sine ullo negotio fecisse dicit (21—24). Exemplis e fabulis mythologicis allatis neque deos neque heroas Venere culta minus valuisse illustratur (25—34). Denique poeta utilissimum esse duarum puellarum animum simul sibi conciliasse exponit (35—42).

Quocum carmine conferamus:

Ov. II 4: Poeta vires sibi deesse ad se regendum confitetur. Semper enim amore ardet (vv. 1—10). Puellam amat, sive modesta et pudica videtur sive procax (11—14). Amat asperam (15—16), et doctam et rudem amore (17—18). Puellam amore amplectitur et quae carmina eius laudat et quae vituperat (19—22), et molliter incedentem et duram (23—24), et dulciter cantantem et lyra canentem (25—28), saltatricem (29—32), et longam et brevem (33—36), et incultam et ornatam (37—38), et flavam et candidam et fuscam (39—40). Poetae placet

puella, sive capilli eius pulli sunt sive flavent (41—44). Et nova aetas eum sollicitat et serior eum tangit (45—46). Denique omnes puellas amat (47—48).

Vidisti Propertium et Ovidium singulis rebus inter se discrepantibus omnino idem argumentum tractare, quo se semper amore ardere exponunt; semper enim esse, cur amore inflammentur. Ut Propertius dicit v. 18:

mi fortuna aliquid semper amare dedit,

ita Ovidius explicat v. 10:

centum sunt causae, cur ego semper amem.

Est argumentum pervulgatum, quod poetae erotici saepissime tractaverunt [1]).

Ovidi elegiae prooemium cum propositione bene cum Properti carmine conspirare iam Buerger [2]) recte cognovit. Congruit maxime cum initio Properti elegiae (vv. 1—12). Nam utrumque poetam amore puellae cuiusvis generis se capi exponentem videmus. Itaque cum non solum argumentum idem sit — quae res sola per se minimum valet —, sed etiam compositio similis sit, Ovidium a Propertio pendere putare licet. Accedit — quod maximi momenti est —, quod poetae simili animi habitu affecti sunt. Uterque enim idem libere confitetur. Neque enim mores suos defendunt, sed se vitio affectum esse concedunt. Cf. Prop. v. 17:

unicuique dedit vitium natura creato.

---

1) Cf. Ov. Her. 15, 80: „et semper causa est, cur ego semper amem". Etiam in carminibus pueris sacratis non raro occurrit cf. Stratonis epigramma A. P. XII 198. Tib. I 4, 9—14:

o fuge te tenerae puerorum credere turbae:
nam causam iusti semper amoris habent.
hic placet, angustis quod equum conpescit habenis:
hic placidam niveo pectore pellit aquam:
hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
virgineus teneras stat pudor ante genas.

2) Cf. pag. 18.

∾ Ov. vv. 1 sq.:

non ego mendosos ausim defendere mores
falsaque pro vitiis arma movere meis.

Cum Propertius in elegia componenda huc atque illuc digredi videatur, Ovidius propositum accurate pertractat. Postquam puellas variis moribus et corporibus praeditas permultas enumeravit, quas omnes se amare exponit, breviter comprehendens, de quo disseruit, apte carmen his versibus duobus concludit (vv. 47/48):

denique quas tota quisquam probet urbe puellas,
noster in has omnis ambitiosus amor.

Et Propertius et Ovidius exempla puellarum afferunt variis virtutibus praeditarum, quibus poeta inflammatur. Sed cum Propertius duo exempla praebeat, Ovidius permulta enumerat. Brueck[1]) igitur Ovidium locum Properti amplificasse putat, ita ut paucis verbis Properti ἐξεργασίαν longissimam opponeret. Quomodo quaestio ad exitum nondum venisse mihi videtur. Etiam aliarum rerum ratio habenda est. Propertius haec duo exempla affert vv. 7 sqq.:

interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,
candida non tecto pectore siqua sedet,
sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet!

Propertius amore ardet, si in theatro sedens tales puellas formosas spectat. Affert duas puellas aliquibus virtutibus corporis praeditas. Ratio autem, qua Ovidius in exemplis enumerandis utitur, diversa est a ratione Properti. Nam Ovidius plerumque binas puellas contrariis moribus praeditas inter se opponit, quarum utraque ei placet. Plurimis exemplis allatis se omnes puellas amare concludit. Semper enim eum rem in bonam par-

1) Cf. pag. 54.

tem accipere vitia leniendo ut rhetoricum videmus [1]). Hoc est argumentum pervulgatum, quod, ut exempla afferam, occurrit Thuc. III 82, Platon. rei publ. 474 δ 560 δ, Horati sat. I 3, 43 sqq. etc. [2]). Ovidio hac in altera parte carminis componenda (ab v. 11 sqq.) etiam aliud Properti carmen obversatum esse, quod in usum suum convertit, putem. Quam elegiam, quae II 25 est, iam accuratius inspiciamus!

Poeta Cynthiam libellis suis formam notissimam futuram esse dicit (vv. 1—4). Amans nullum tempus a labore intermittere potest (5—10). Gravi quidem servitio se premi dicit, sed omnes labores libenter subit et Cynthiae semper fidem servabit (11—38). Illi autem, qui melius esse complures puellas amare putant, multis doloribus cruciantur (39—40). Nam amator et candido colore et fusco puellarum et Argiva et Romana figura delectatur; ducitur ab ea, quae plebeio, et ab ea, quae amictu splendido est (41—46). Nam una femina amatorem iam satis multis malis afficit (47—48).

Intellegis sententiam gravissimam huius elegiae ab argumento in Ovidi carmine tractato omnino discrepare. Cum Ovidius omnium puellarum amore ardeat, Propertius uni amicae totum se dare vult. Versibus 39 et 40 Properti elegiae cogitatio videtur subesse, qua utile esse demonstratur amatorem, ut se amore vehementissimo li-

---

1) Idem argumentum Ovidius diserte tractat a. a. II 641 sqq., ubi amatorem docet, qua ratione semper rem in meliorem partem interpretari possit. Imprimis cf. v. 662: et lateat vitium proximitate boni. Idem argumentum etiam her. IV 73.

2) Assentiri non possum Buergero (cf. pag. 18 sqq.), qui postquam rationem vitia leniendi ex principio adulatoris esse docere studuit, his verbis dicit: „ex praeceptis ludi rhetorici Ovidius et quidem primus id in elegorum genus traduxit, quo perspecto apparet talem elegiam qualis est II 4 apud Graecos elegiacos fuisse non posse, sed eum sententia ustitata (vv. 1—10) arrepta rem praeceptis rhetoricis tractavisse.“ Buerger longius progressus est.

beret, aliarum puellarum gratiam inire. Sed poeta ab hac ratione abhorret. Nam unam feminam satis multa mala efficere censet. Si quis unam puellam amare non satis habet, is perpetuo magnis doloribus cruciatur, quoniam modo haec modo illa propter varias causas ei placet. Ut hoc demonstret, Propertius ternas puellas virtutibus inter se contrariis praeditas affert: cf. vv. 41—46:

vidistis pleno teneram candore puellam,
    vidistis fusco: ducit uterque color.
vidistis quandam Argiva prodire figura,
    vidistis nostras: utraque forma rapit.
illaque plebeio vel sit sandycis amictu:
    haec atque illa mali vulneris una via est.

Eodem modo Ovidius puellas acriter inter se opponit. Versibus 41/42 Properti similes sunt Ovidi vv. 39/40:

candida me capiet, capiet me flava puella,
    est etiam fusco grata colore Venus[1]).

Properti versibus 43 sq. respondent Ovidi vv. 33 sqq.: „Cu, quia tam longa es, veteres heroidas aequas | et potes in toto multa iacere toro; | haec habilis brevitate sua est: corrumpor utraque; | conveniunt voto longa brevisque meo."

Utrumque poetam de figura puellarum dicere vides. De vestibus Propertius dicit v. 45, quocum conferendi sunt Ovidi vv. 37 sq., quibus de cultu agitur: „non est culta: subit, quid cultae accedere possit; | ornata est: dotes exhibet ipsa suas."

Quamquam Propertius ea re ab Ovidio differt, quod non vitia leniendo rem in meliorem partem accipit, tamen Ovidius hanc partem carminis Properti mihi videtur respexisse. Verba singula nonnumquam similia esse cognoveris. Suo more Ovidius rem amplificare studet permulta exempla afferens. Quibus in enumerandis ratione et via

1) Cf. Stratonis epigramma A. P. XII 5, 1—2; 244.

progreditur. Primum enim mores et naturam puellarum tractat vv. 11—16, deinde de intellegentia et cultu ingenii dicit vv. 17—22, tum de motu et habitu corporis (23—24), tum de artibus (25—32)[1], postremo singulas res ad figuram et speciem corporis pertinentes affert et quidem dicit de magnitudine, cultu, colore, crinibus (33—44).

Vidisti igitur argumentum, quod toti carmini subest quoque semper causas amandi esse demonstratur, Ovidium e Prop. II 22 deprompsisse. In compositione carminis perficienda extremam partem Properti elegiae II 25 in ursum suum convertit. Sed quamquam ad Ovidi elegiam componendam duo exemplaria diversa valuerunt, tamen eum haec sollerter coniunxisse, ut omnino una et tota elegia fieret, negari non potest.

---

b.

Sequitur, ut ad ea carmina Ovidi accedamus, quorum argumenta quidem ex alio fonte hausit, sed quae tota vel aliqua ex parte ad exemplar alicuius carminis Properti, quo idem argumentum vel simile tractatur, composita sunt.

Pervenimus ad elegiam III 11 Ovidi, de qua iam complures viri docti inter se dissentientes accuratius disseruerunt.

Jacoby[2]) illam cum epigrammate 85 Catulli confert:

---

1) Dicit de arte canendi nervosque in fidibus pellendi atque saltandi. Quam ad artem spectat v. 29: „illa placet gestu numerosaque bracchia ducit.“ Fortasse variavit et imitatus est Properti II 22, 5: „sive aliquis molli diducit candida gestu bracchia“, quo loco Propertius se in theatro, ubi pantomimi in scaenam prodeunt, sedere fingit. Sed hac re inflammari aliter atque Ovidius non dicit. Nam non ad illos spectat, sed puellas potius formosas, quae in theatro sedent, quaerit.

2) Zur Entstehung der römischen Elegie. Rhein. Mus. 1905, tom. 60, pag. 86 sqq.

odi et amo. quare id faciam fortasse requiris.
nescio, sed fieri sentio et excrucior,

quod Ovidio ansam dedisse ad elegiam III componendam dicit; Catullum eundem animi habitum illustrare quem Ovidius multis verbis exponat. Verba ipsa haec viri docti afferre mihi liceat [1]: „Die aus dem Gedanken des Epigramms entwickelte Elegie bringt nichts, was über diesen Gedanken hinausgeht. Sie ist nichts als erweiternde Ausmalung und zwar hier Ausmalung ganz allein mit rhetorischen Mitteln.“ Vituperat eos viros doctos, qui elegiam Ovidi in duas partes dividendam esse censuerunt. Contra Brueck [2] exemplar Ovidi epigramma Philodemi fuisse putat, quod A. P. V 24 servatum est: ψυχή μοι προλέγει φεύγειν πόθον Ἡλιοδώρας | δάκρυα καὶ ζήλους τοὺς πρὶν ἐπισταμένη. | φησὶ μέν· ἀλλὰ φυγεῖν οὔ μοι σθένος· ἡ γὰρ ἀναίδης | αὐτὴ καὶ προλέγει καὶ προλέγουσα φιλεῖ.

Ovidius ἐξεργασίαν plane insulsam composuisse ei videtur. Lucianum Muellerum, qui duas partes carminis Ovidi esse voluit, se sequi posse etiam Brueck negat. Aliter de hac re iudicat Troll [3], qui Jacobyi sententiam refutare studet. Negat enim demonstrari posse Ovidium illum locum communem: „odi et amo“ e Catulli brevissimo epigrammate hausisse. Praeterea elegiam Ovidi e duabus elegiis constare censet [4]. Properti I 15 potius exemplar Ovidi fuisse putat, quod ut intellegatur, primos versus duorum carminum comparandos esse dicit, praeterea Properti versum 32 cum Ovidi versu 49, Properti vv. 25 et 42 cum ultimis versibus partis prioris Ovidi carminis; totam elegiam etiam cum Properti II 5 conferendam esse [5]; Ovidium non solum arte rhetorica — ut Jacoby dixerat —, sed etiam arte elegiaca usum esse.

---

1) pag. 87. 2) l. l. pag. 55.

3) De elegiae Romanae origine, Diss. Gotting. 1911, pag. 7 sqq.

4) pag. 12 adnot.

5) Praeterea hos versus respiciendos esse vult: Ov. 9 ∾ Prop.

Ut recte diiudicemus, quo ex fonte Ovidius hauserit quemque imitatus sit, primum cognoscamus, qua ratione carmen Ovidi compositum sit qualesque sententias praebeat:

Ov. III 11 a. Poeta gaudet, quod victoriam adeptus est: turpi amori vale dicit (vv. 1—8). Miratur se omnia mala, quae nunc enumerat, tulisse (9—18). Quamquam amica versibus poetae clarissima facta est, tamen ei fidem non servavit (19—26). Nunc autem ab ea alienatus est neque commoveri potest, ut denuo amore eius ardeat (27—32).

b. Amor et odium in pectore poetae luctantur, sed iam amorem victurum esse sentit (33—36). Mores quidem malos Corinnae fugit, sed pulchrum corpus eius eum reducit (37—44). Orat eam, ut sibi parcat (45—48). Se semper eam amaturum esse confirmat (49—52).

Priore parte carminis Ovidium Corinnae vale dicere videmus. Patientia enim eius victa est atque iniuriarum, quas illa ei intulit, eum pudet. Idem animi habitus per totam hanc partem (vv. 1—32) carminis invenitur. Ab versu 33, ubi altera pars incipitur, affectio animi commutatur: amor et odium in corde poetae inter se pugnant et odium vincitur ab amore. Quo demonstrato duas elegias esse fortasse dicas. Sed iam exemplar Ovidi investigandum est. Ovidius argumentum usitatissimum [1])

II 4, 2 (de hoc loco cf. p. 8), Ov. 13/14 ∾ Tib. I 5, 71 sqq. (dubium videtur, an Ov. Tibullum ante oculos habuerit), Ov. 16 ∾ Prop. III 8, 20 (II 4, 17) de quo loco cf. pag. 9. — Ov. 17 ∾ Tib. I 5, 61 sq., Ov. 45 ∾ Tib. I 5, 7, quibus locis Ovidius Tib. non est consulto imitatus mea sententia. Ov. 19/20 ∾ Prop. III 24, 3 sq., Ov. 29 ∾ Prop. III 24, 15 sq. De his locis ipse disseram.

1) Cf. Ov. II 4, 5. III 14, 39. Anacr. 89. Theogn. 30. Ter. Eun. 70 sqq. A. P. XII 172. 201. De Properti carminibus eiusmodi cf. infra.

tractat, quo poetae erotici amatorem puellae vel puero vale dicere velle neque posse demonstrant. Quod argumentum Catullus epigrammate 85 brevissime tractat. Licetne putare Ovidium locum communem hunc tractantem a Catullo pendere? Conferenda sunt verba Catulli: „odi et amo“ cum Ovidi III 11 b 33/34: „luctantur pectusque leve in contraria tendunt | hac amor hac odium, sed puto, vincit amor.“

Ovidius ea verba ipsa, quae Catullus praebet, consulto opponit inter se dilucide etiam vv. 35/36: „odero, si potero; si non, invitus amabo: | nec iuga taurus amat; quae tamen odit, habet.“

Eadem affectio animi, quam Catullus brevissimo epigrammate praebet, ab Ovidio, ut Jacoby iam dixit, diserte illustratur. Odium priore parte carminis apparet, ubi turpi amori vale dicere poeta animum induxit. Sed statim se id conficere non posse sentit: odium amor rediens vincit, quod altera parte illustratur. Animum incertum ipsum amantis Ovidius demonstrare studuit i. e. tota elegia (11 a + b) argumentum idem, quod Catullus, tractat. Quibus rebus demonstratis et Ovidium a Catulli epigrammate profectum esse et elegiam totam III 11 unam esse concludendum mihi videtur esse. Cum igitur sententiam Jacobyi sequi liceat, Brueckio assentiri posse mihi non videor. Locum enim communem e Philodemi epigrammate ipso ab Ovidio haustum esse demonstrari posse negem, praesertim cum ille se odisse non dicat. Quod autem ad Catulli epigramma attinet, Ovidium hoc respexisse e verbis similibus Latinis conclusimus. Quod Ovidius iniurias antea acceptas affert, eum verba Philodemi δάκρυα et ζήλους ante oculos habuisse putare non opus est. Nam est τόπος quidam, secundum quem poetae erotici de superbia puellarum queruntur. Quaestio autem intricatior est, utrum Troll Properti I 15 Ovidi exemplar

fuisse recte dixerit an non. Iam hanc Properti elegiam accuratius inspiciamus:

Prop. I 15: Poeta Cynthiam vituperat, quod lenta est, quamquam in periculo magno versatus est (vv. 1—8). E fabulis mythologicis complura exempla mulierum fidelium affert, quas Cynthiam aemulari poeta vult (9—22). Aliquando futurum esse dicit, ut Cynthiam perfidiae paeniteat (23—28). Sed poeta ipse fidem foederis non violabit (29—34). Iterum tum Cynthiam vituperat, quod periuria fecerit (35—40). Queritur postremo de miseria sua (41—42).

Quamquam poeta Cynthiam in se neglegentem vituperat, tamen eum in sollicitudine magna esse apparet, ut est amore incensus. Indignatio et cura in pectore poetae similiter atque odium et amor in Ovidi III 11 inter se luctantur. Sed illud inter Propertium et Ovidium interest, quod Propertius non in eadem condicione atque Ovidius est. Neque enim Cynthiae vale dicere vult, sed tantum eam vituperat. Accedit, quod Propertius se Cynthiam odisse non dicit. Quod odium ipsum ab Ovidio dilucide profertur. Itaque si ad totum carmen spectas, Properti I 15 carmen exemplar Ovidi fuisse non dicas. Tenendum igitur est Ovidium a Catullo profectum esse. Sed fortasse Ovidius sententias singulas e Propertio sumpsit. Iam perscrutemur locos similes illos, quos Troll ad sententiam suam confirmandam attulit:

ad 1). Ov. vv. 1 sq.:

multa diuque tuli; vitiis patientia victa est;
    cede fatigato pectore turpis amor etc.

∼ Prop. I 15, 1 sqq.:

saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
    hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
aspice me quanto rapiat fortuna periclo:
    tu tamen in nostro lenta timore venis.

Locos simillimos esse dici non potest. Nam cum Propertius Cynthiae crimini det, quod lenta est, Ovidius Corinnae vale dicit.

ad 2). Ov. v. 49:

quidquid eris, mea semper eris.

∼ Prop. v. 32:

sis quodcumque voles, non aliena tamen.

Verba satis inter se congruere concedendum est. Sed an consulto Ovidius locum Properti imitatus sit, dubium videtur.

ad 3). Ov. v. 31 sq.:

desine blanditias et verba, potentia quondam,
perdere: non ego sum stultus, ut ante fui.

∼ Prop. v. 25:

desine iam revocare tuis periuria verbis.

et v. 42:

o nullis tutum credere blanditiis.

Condicio, in qua poetae hoc loco sunt, similis est: ut Propertius iura iuranda, quibus Cynthia eum lenire studet, reicit, ita Ovidius blanditiis Corinnae denuo capi non vult. Accedit, quod uterque versum incipit a verbo: „desine“. Quamobrem Properti locum Ovidio obversatum esse fortasse concedere licet. Videbimus quidem infra Ovidium hoc loco etiam cum alio loco Properti consentire (cf. pag. 76). Sed utcumque res se habet, Ovidium totam elegiam suam ad exemplar Properti carmen I 15 scripsisse dici non potest.

Quomodo res se habet de Properti elegia II 5, quacum totam elegiam Ovidi comparandam esse Troll dixit? Videamus, quas sententias Propertius hoc carmine afferat!

Prop. II 5: Cum Cynthia infidelis sit, Propertius se aliam puellam sibi conciliaturum esse dicit, quae carminibus suis nominis famam assequi velit (vv. 1—8). Tum ipse se cohortatur: nunc discedendum esse, cum ira

recens sit; nam amórem, si dolor absit, celeriter reverti (9—14). Dolorem discessu effectum tolerandum esse (15—16). Cynthiam monet, ne incauta sit; nam etiam se ulcisci posse versibus suis ei infamiam conflaturum (17—30).

Quod carmen, si ad affectionem animi poetae spectas, Ovidi elegiae simile est. Poeta modo huc modo illuc iactatur; puellae vale dicere quidem velle videtur, sed revera vinculis firmis vinctus est. Est enim idem argumentum pervulgatum, quod scriptores erotici saepissime tractant. Itaque Ovidium ab hoc carmine Properti pendere putare non licet, nisi loci tam similes inveniuntur, ut rationem certam inter poetas intercedere appareat. Quantum video, hic locus solus respiciendus est:

Prop. v. 15:

nec tu non aliquid, sed prima nocte dolebis.

Ov. 11 a, 7:

perfer et obdura! dolor hic tibi proderit olim.

Uterque poeta se dolore affectum iri sentit, si a puella discesserit. Sed cum neque verba singula satis inter se congruant et illud argumentum ipsum, quo amantem a puella separatum dolore affici illustatur, usitatissimum sit, Ovidium a Propertio pendere demonstrari non potest. Contra hoc loco Catulli 8, 11 imitatus est: „sed obstinata mente perfer, obdura!“ Neve neglexeris, si locos singulos omittere et ad totum carmen respicere mavis, quantum Ovidi elegia a Properti carmine differat. Propertius dicens se aliam inventurum esse, quae suis carminibus nota esse velit, Cynthiae animum permovere studet, atque extremo carmine se eam versibus suis ulturum esse minatur. Quae sententiae in Ovidi elegia omnino non occurrunt.

Iam autem Ovidi elegiam cum Properti carmine III 24 + 25 conferamus, a quo illum maxime pendere intelle-

gemus. Cognoscamus igitur primum, quae sententiae illo contineantur:

Prop. III 24: Poetam pudet amicam versibus celebravisse (vv. 1—4). Cognovit enim se illa laudata erravisse[1]) (5—12). Nunc demum sanitatem recuperat et Mentem Bonam, ut se tueatur, orat (13—20).

Quae autem sequuntur, tam arte cohaeret, ut 24 + 25 unam elegiam efficere appareat.

Prop. III 25: Poeta nunc ab hominibus irridetur (1—2). Quinque annos Cynthiae servivit, sed nunc ei vale dicit. Qua re etiamsi animus poetae percutitur, tamen lacrimis Cynthiae non movetur, ut consilio desistat (3—10). Cynthiam devovet, quam aliquando poenas daturam esse confirmat (11—18).

Hoc carmine (24 + 25) Propertius conclusionem libri tertii facit. Cynthiae vale dicit, i. e. carmina amatoria componere non iam vult. Indignatus poeta in Cynthiam graviter invehitur. Eundem animi habitum eandemque condicionem in Ovidi elegiae III 11 priore parte (a) invenimus. Accedit, quod permulta argumenta et sententiae singulae inter se consentiunt, quae per ordinem conferre mihi liceat:

1) Uterque poeta de superbia puellae queritur: cf. Prop. 24, 2: superba (= Cynthia); 25, 8: tu bene conveniens non sinis ire iugum; 25, 15: exclusa inque vicem fastus patiare. ∼ Ov. v. 9: ergo ego sustinui, foribus tam saepe repulsus. Omnino cf. Ov. vv. 9 sqq.

2) Uterque puellae diu servivit: cf. Prop. 25, 3: quinque tibi potui servire fideliter annos. ∼ Ov. v. 1: multa diuque tuli. v. 27: his duravi saepe ferendis. — Fideliter serviverunt: cf. Prop. 25, 3: servire fideliter.

1) Si poeta se amore affectum id esse putavisse exponit, quod Cynthia non erat, nihil aliud dicere vult nisi se ab illa non iam moveri, qua propter illi vale dicit.

Ov. v. 17 sq.: quando ego non fixus [1]) lateri patienter adhaesi, ipse tuus custos, ipse vir, ipse comes?

3) Uterque ab animo suo non facile impetrare potest, ut puellae vale dicat, sed se ipsum vincit: cf. Prop. 25, 7: flebo ego discedens, sed fletum iniuria vincet. Propertius diutissime Cynthiam talem non esse, qualem putabat, intellegere non potuit: 24, 9 sqq.: quod mihi non patrii poterant avertere amici ... haec ego ... verba fatebar. — Ov. v. 5: vicimus et domitum pedibus calcamus amorem: | venerunt capiti cornua sera meo. | perfer et obdura! dolor hic tibi proderit olim.

4) Uterque se puellam ingratam carminibus celebravisse exponit:

Prop. 24, 3 sq.:

noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes,
versibus insignem te pudet esse meis.

∼ Ov. 19 sq.:

scilicet et populo per me cantata placebas:
causa fuit multis noster amoris amor.

5) Cum puellas falsas esse intellexerint, ab iis non iam moventur:

Prop. 24, 17 sqq.:

nunc ... resipiscimus aestu
vulneraque ad sanum nunc coiere mea:
Mens Bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.

25, 5 sq.:

nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte.
semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.

∼ Ov. 31 sq.:

desine blanditias et verba potentia quondam
perdere. non ego sum stultus, ut ante fui.

---

2) Imitatus est Tib. I 5, 61 sq.: pauper adibit | primus et in tenero fixus erit latere.

6) Maximi autem momenti est, quod poetae, ut se amorem effugisse et ad sanitatem redisse illustrent, eadem similitudine utuntur: navem enim coronis redimitam, quae postquam tempestates effugit, in portum tutum redit, cogitatione sibi depingunt.

Prop. 24, 15 sqq:

ecce coronatae portum tetigere carinae,
    traiectae Syrtes, ancora iacta mihi est.
nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu.

Ov. 29 sq.:

iam mea votiva puppis redimita corona
    lenta tumescentes aequoris audit aquas.

Quibus rebus demonstratis dubium non est, quin Ovidio in priore parte carminis componenda (11 a) Properti elegia (III 24 + 25) obversata sit. Contra ad alteram partem (11 b) componendam illam nihil valuisse apertum est. Sed quamquam Ovidi carminis 11 partem „a“ et Properti carmen arte inter se cohaerere intelleximus, tamen Ovidius non servili artificio usus amicum imitatus est, quod nunc demonstrandum mihi est:

1) Discrepat Ovidius a Propertio maxime ea re, quod neque diras, quibus Propertius in Cynthiam invehitur, imitatus est neque Corinnam poenas quondam soluturam esse exponit. Cur Ovidius Propertium hac in re secutus non sit, cognosci facile potest. Properti carmen est ultimum libri tertii. Devovens Cynthiam Propertius, ut ante dixi, se poesi eroticae vale dicere velle significat. Contra Ovidius elegia sua plane aliud assequi vult. Argumentum enim, quo amantes odio et amore saepe simul affectos esse poetae erotici illustrant, diserte tractare studet. Consilium Corinnae vale dicendi quidem init, sed se vincere non potest et ei fidem servat. Cum Ovidi elegia tertii libri ultima non sit, poetam Corinnam, quippe

cui vale dicere serio neque velit neque possit, tam graviter devovere quam Propertium aptum non fuit.

2) Etiam aliis rebus Ovidius a Propertio discedit, prout sententias ab eo allatas in usum suum convertere voluit. Quod Propertius breviter attingit, Ovidius solito more amplificat, quo magis perspicuum fiat: cf. Prop. v. 7: „flebo ego discedens", quam sententiam Ovidius multo pluribus et gravioribus verbis tractat vv. 5—8. — Propertius (v. 2) Cynthiam allocutus superbam appellaverat. Exemplum superbiae eius affert 25, 15, ubi optat, ut in vicem exclusa fastus superbos patiatur. Qua ex re poetam ipsum ab ea antea exclusum esse elucet. Occasione data Ovidius multis exemplis allatis et crudelitatem et perfidiam Corinnae illustrat. Ovidium exempla talia afferentem τόπον quendam secutum esse apertum est. Imprimis summo colore describere studet, qua in condicione tristi superbia eius ipse fuerit: saepe foribus repulsus est, ingenuum corpus suum humi posuit, rivalem felicem vidit etc. vv. 9—16. — Vv. 21—26 Corinnam accusat, quod periuria fecit et se aegrotam esse simulavit etc. — Fidem suam magno colore illustrat Propertium superans, qui tantum se fideliter servisse (25, 3) dixerat: cf. Ov. v. 17 sq.

3) Variat Ovidius suo more sententias a Propertio allatas: Propertium Cynthiam carminibus celebravisse pudet (24, 4). Verbum „pudet" Ovidius arripit et sententiam variat: eum ignominiam toleravisse pudet, qua a Corinna affectus est: cf. v. 4: et quae non puduit ferre, tulisse pudet. v. 16: eveniat nostris hostibus ille pudor. Quomodo factum est, ut etiam causam vale dicendi variaret. Nam cum Propertius se erravisse cognoscat, Ovidius patientiam suam victam esse dicit. Sententia ita variata fieri potuit, ut exempla enumeraret, quibus miseriam suam vivide illustrare studebat.

4) Propertius dicit 24, 5 sq.: „mixtam te varia laudavi saepe figura, | ut quod non esses esse putaret amor."

Poeta Cynthiae pulchritudinem, qua adductus est, antea laudavit; nunc vero se erravisse intellexit atque eam pulchram esse falso se opinatum esse cognovit[1]). Moribus Cynthiae offensus nunc ab ea discedit. Etiam Ovidius moribus Corinnae offenditur, sed aliter ac Propertius forma pulchra eius reducitur. Cf. v. 38: „aversor morum crimina, corpus amo." Variavit igitur Ovidius Propertium: cum Cynthiam pulchram esse Propertius opinatus sit, apud Ovidium Corinna revera pulchra est. Sententiam, qua corpus et mores inter se opponuntur, dilucide pertractans praecepta rhetorica sequi videtur[2]).

Vidimus igitur Ovidi carminis priorem partem (11 a) valde neque tamen serviliter a Propertio pendere. Amori vale dicere non potest. Cum Propertius revera a Cynthia discedere omnino animum induxerit, Ovidius in consilio suo non perstat in altera parte carminis, sed Corinnae fidem servat, quoniam argumentum illustrare vult, quo amantes odio et amore in vicem cruciari demonstratur.

Paucis verbis iam comprehendere liceat, quod de Ovidi carmine III 11 elaboravimus. Elegia III 11 non ex duabus elegiis constat, sed una est. A Catulli epigrammate 85 profectus Ovidius argumentum pervulgatum tractat. Priorem partem carminis, qua odium illustratur, ad exemplar Properti III 24 + 25 composuit. Sed cum Propertius altera parte carminis (25) diras in Cynthiam profundat, Ovidius Catullum secutus variatione utitur. Altera enim parte amorem vincere demonstrat.

Ovidius carmine II 10 argumentum tractat, quo omnino fieri posse, ut amator uno tempore duas puellas amet, demonstratur. Poeta enim ipse tali in condicione est. Est argumentum pervulgatum, quod saepe apud scriptores

1) Quid haec verba (vv. 9 sqq.) valeant, cf. pag. 75 adn.
2) Cf. Heinemann, pag. 58 sq.

eroticos occurrit. Cf. Aristaeneti epistulam II 11, ubi Apollogenes se simul uxorem et meretricem quandam amare narrat. Cf. etiam Philodemi epigramma A. P. XII 173. In Pauli epigrammate A. P. V 232 mulierem videmus trium virorum amore ardentem. Idem argumentum etiam in epigrammatis Veneri puerili sacratis occurrit: cf. A. P. XII 88, Polystrati A. P. XII 91. A. P. XII 89; 90, quorum poetae triplici amore ardent. Etiam Propertius idem argumentum elegia II 22 exeunte tractavit, quam accuratius cum Ovidi elegia comparare liceat. Supra (pag. 63) demonstravi, quae sententiae illo carmine Properti contineantur. Nunc Ovidi carmen diligentius inspiciamus!

Ov. II 10: Poeta amicum Graecinum, qui uno tempore duas puellas quemquam amare posse negaverat, ad se ipsum delegans refutat (vv. 1—4). Utramque puellam, quam amet, pulchram esse nec dici posse, utra alteram artibus superet (5—10). Quo magis dolores suos auctos esse (11—14). Ab versu 15 rem in meliorem partem accipere studet cogitatione variata: melius esse duarum puellarum amore inflammari quam sine amore omnino vivere (15—18). Praeterea vires suas ut officio duplici satis faciat plane sufficere (19—28). Amore solo felicitatem summam effici (29—34). Quam ob rem poeta optat, ut medium inter opus Veneris morte exstinguatur (35—38).

Dilucide partes duas diversas carminis discerni posse cognoscis. Priore enim parte (1—14) poeta queritur, quod duarum puellarum amore vexatur, (cf. v. 11: quid geminas, Erycina, meos sine fine dolores?), altera optat, ut puellae se disperdant (cf. v. 21 sq.: me mea disperdat nullo prohibente puella . . . .) atque amorem laudibus summis extollit.

Primis cum versibus Ovidi elegiae initium Aristaeneti epistulae supra laudatae similitudinem magnam ostendit: ἐβουλόμην, εἴπερ οἷόν τε ἦν, τοὺς ἐρωτικοὺς ἅπαντας δι-

ερωτῆσαι καθ' ἕκαστον, εἴτις αὐτῶν ἐπαμφοτερίζων ὑφ' ἕνα καιρὸν δυοῖν περιπέπτωκε φίλτροις. Quin etiam Ovidius et Aristaenetus simili imagine ad eundem habitum animi describendum usi sunt. Ut enim Ovidius (vv. 9—10) se ipsum pari amore duarum puellarum ardentem cum phaselo discordibus ventis acta comparat, ita apud Aristaenetum is, quem scribentem fecit, cum gubernatore se confert, qui ventis duobus diversis premitur. Buerger[1], qui Ovidi elegiam praeterea cum Philodemi epigrammate A. P. XII 173 et Theophylacti epistula 39, quibus argumentum idem tractatur, contulit, concludendum esse censuit et Ovidium in parte priore elegia componenda (vv. 1—14) et Philodemum et alios auctores Graecos commemoratos sua ex elegia Alexandrina sumpsisse. Buergero Gollnisch[2]) assensus est quidem in universum, sed Philodemi epigramma eadem ex elegia derivari posse negat: nam cum Ovidius et Aristaenetus in utriusque puellae amore permaneant, Philodemum dicere, utram ardentius cupiat; statuendum esse et elegiacos Alexandrinorum et epigrammatum auctores argumentum idem excoluisse; quam suspicionem confirmari Pauli epigrammate A. P. V 232; quod accurate congruere cum Ovidio et Aristaeneto. Denique Gollnisch operam dat, ut elegiam Alexandrinam instauret, ad quam et Ovidium et Aristaenetum redire putat. Contra Gollnischi opinionem Heinemann[3]), quamquam Ovidi II 10 priorem partem et Aristaenetum cum epigrammatis consentire concedit, pugnat. Negat enim Ovidium et Aristaenetum ex elegia Alexandrina hausisse. Epigramma potius fontem prioris partis elegiae Ovidi fuisse censet. Etiam Aristaenetum epigrammata secutum esse putat. Pauli epigramma a Gollnischio in comparationem vocatum omnino reicit, quo longe aliud argumen-

1) Pag. 14 sqq.
2) Pag. 68 sqq.
3) Pag. 95 sqq.

tum tractetur. Quantum equidem iudicare possum, pro certo dici non posse mihi videtur, quod exemplar secutus sit Ovidius vel quo ex fonte hauserit. Itaque satis habendum nobis est statuere Ovidium argumentum pervulgatum tractavisse atque in usum suum convertisse.

Inter Ovidi elegiam II 10 et 9 ratio certa intercedit. Videtur has elegias ita composuisse, ut inter se responderent atque complerent. Argumentum enim, quod II 9 tractavit (cf. pag. 34 sqq.), II 10 eum in modum auxit et variavit, ut de duplici amore dicat, quo magis delectatur. Ovidius quamquam priore partis elegiae 9 se ab Amore opprimi queritur, tamen parte altera se amore ardere quam sine amore vivere malle illustrat. Quas duas partes compositionis Ovidius etiam II 10 respexit. Nam cf.

II, 10, 11 sqq.:

quid geminas, Erycina, meos sine fine dolores?
non erat in curas una puella satis? etc.

Quibus in versibus eadem affectio animi, quam poeta 9 a praebet, occurrit. Praeterea conferendi sunt:

II 10, 17 sqq.:

hostibus eveniat viduo dormire cubili
et medio laxe ponere membra toro;
at mihi saevus amor somnos abrumpat inertes,
simque mei lecti non ego solus onus.

et II 9, 39 sq.:

infelix, tota quicumque quiescere nocte
sustinet et somnos praemia magna vocat!

Cum antea de cruciatu amoris questus sit, nunc utroque loco id ipsum optat, ut amore delectetur, atque sine amore vivere pessimum arbitratur.

Iam exquirendum est, quae ratio inter Ovidi et Properti elegiam (II 22) intercedat. Iam Buerger[1]) Ovidium

1) Pag. 15 sq.

in altera parte carminis componenda Propertium imitatum esse breviter ostendit. Carmen Properti ab Ovidi elegia multum discrepat. Propertius enim natura sibi datum esse ut semper amore ardeat exponit atque extrema demum parte carminis de amore duplici agit. Sed omnino a Propertio ea pars elegiae Ovidi pendet, qua Venere culta vires non minui demonstratur [1]).

Conferendi sunt loci sequentes:

Prop. vv. 21 sqq.:

sed tibi si exsiles videor tenuatus in artus,
falleris, haud nunquam est culta labore Venus.
percontere licet; saepe est experta puella
officium tota nocte valere meum.

~ Ov. vv. 22 sqq.:

. . . me . . disperdat,
si satis una potest, si minus una, duae!
sufficiam; graciles, non sunt sine viribus artus:
pondere, non nervis corpora nostra carent;
et lateri dabit in vires alimenta voluptas.
decepta est opera nulla puella mea.

Non aliter ac Propertius, qui amico valetudini suae timenti se Venerem sine ullo labore colere, quod puella experta sit, exponit, ita Ovidius gloriatur, quod nulla puella sua opera decepta sit. Propertius ut id, quod dixit, confirmet, compluribus exemplis e fabulis mythologicis allatis utitur: cf. vv. 25 sqq.:

Juppiter Alcmenae geminas requieverat arctos,
et caelum noctu bis sine rege fuit:
nec tamen idcirco languens ad fulmina venit.
nullus amor vires eripit ipse suas. etc.

---

1) Propertium carmen suum secundum τελικὰ κεφάλαια quae vocantur composuisse Heinemann (pag. 99) demonstrare studuit, qua ratione etiam Ovidius usus esse ei videtur. Sed longius progressus videtur esse, quoniam dissertatione sua id spectat, ut artem rhetoricam ad scriptores eroticos multum valuisse doceat.

∼ Ov. vv. 27 sq.:

saepe ego lascive consumpsi tempora noctis:
utilis et forti corpore mane fui.

Ovidius Propertium variat: brevius idem exprimit. Ut Propertius illis exemplis neque deos neque heroas Venere culta infirmatos esse illustrat, ita Ovidius se ipsum opere perfecto mane corpore forti fuisse dicit. Cum Propertius nos ad exempla heroum et deorum deleget, Ovidius rem ad se ipsum revocat.

Extrema parte elegiae (ab v. 29) Ovidius eum felicem nominat, quem Veneris certamina mutua perdunt i. e. amori totum se dedere vult. Se opponit militi, qui nominis famam pugnando assequitur, et avaro, qui opes quaerit. Quo loco Buerger[1]) Ovidium ad Tibulli elegiam I 1 alludere putat, qui se neque divitias neque gloriam sibi parare velle dicit, sed cum Delia vivere mavult; quo ab argumento profectum Ovidium supra Tibullum longe processisse (35—38). Optat enim Ovidius, ut medium inter opus obscenum moriatur. Quod argumentum etiam aliis locis nobis occurrit[2]). Quo addito Ovidius Propertium non solum variare, sed augere et superare potius voluisse apertum videtur.

Carmina Ovidi et Properti etiam alia re inter se consentiunt. Propertius, ut saepissime carminibus suis, amicum, Demophoontem hoc loco (v. 2), alloquitur, qui eum vituperaverat, quod semper amore arderet. A quo se defendens exponit, cur semper aliquid sibi amandum sit etc. Non aliter Ovidius amicum Graecinum alloquitur, qui fieri posse negaverat, ut aliquis uno tempore duas puellas amaret. Eum refutare studens idem fere quod Propertius exponit.

Denique, ut finem faciam de Ovidi elegia II 10 disse-

1) Pag. 16.

2) Cf. Philetaer fr. 6 (C. A. F. II 232) et 9, 4.

rendi: Ovidius priore parte carminis argumentum pervulgatum, quo de amore duplici agitur, tractat per se; in altera parte componenda maxime Properti elegiam II 22 imitatus est, quem ita variavit, ut argumento a se tractato accommodaret. Affectionem animi apud utrumque eandem esse vidimus. Quod attinet ad compositionem carminis, Ovidium elegiam ipsius II 9 magnopere respexisse statuendum est.

---

c.

Vidimus Ovidium non solum locos singulos Properti imitatum esse, sed etiam argumenta tota ex illo deprompsisse. Vidimus etiam nonnumquam Ovidi elegias similitudinem magnam compositionis cum Properti elegiis ostendere. Iam ad ultimam partem quaestionis nostrae pervenimus. Restat enim, ut de iis Ovidi elegiis disseram, quae totae a Propertio pendent. Dico eas elegias, quorum et argumenta Ovidius e Propertio sumpsit et compositionem vel dispositionem ad exemplar eius effecit.

Transeamus ad Ovidi elegiam II 18, qua in scribenda Ovidius Properti carmen I 7 imitatus est. Primum igitur cognoscamus, quae sententiae his elegiis contineantur:

P r o p. I 7: Dum Ponticus, quem Propertius alloquitur, carmina epica componit, poeta poesi sua utitur, ut animum dominae flectat (vv. 1—8). Qua re gloriam adipisci studet. Magister amantium esse vult (9—14). Si Ponticus amore inflammatus erit, carmina heroica ei nihil proderunt. Tum dolebit, quod carmina amatoria condere non potest (15—20). Tum eum (Propertium) humilem poetam non iam putabit. Iuvenes magnum poetam ardoris sui aliquando laudabunt (21—24). Quam ob rem Ponticum monet, ne carmina sua contemnat (25—26).

O v. II 18: Dum Macer carmen epicum componit, Ovidius se in vinculis Amoris esse dicit (vv. 1—4). Frustra se a Corinna discedere conatum esse (5—10). Quam ob rem

se etiam porro carmina amatoria scripturum esse (11—12). Amorem se etiam a tragoedia componenda revocasse (13—18). Nunc igitur se artes Amoris profiteri et epistulas heroidum scribere (19—26). Sabinum responsa heroum scripsisse (27—34). Vel Macrum ipsum in carminibus epicis componendis Amorem aureum non neglegere (35—40).

Et argumentum et compositio carminum Properti et Ovidi similia sunt. Imprimis initia carminum inter se congruunt:

Prop. v. 1 sqq.:

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
 armaque fraternae tristia militiae,
atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
 sint modo fata tuis mollia carminibus:
nos, ut consuemus, nostros agitamus amores
 atque aliquid duram quaerimus in dominam.

∼ Ov. 1 sqq.:

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillen
 primaque iuratis induis arma viris,
nos, Macer, ignava Veneris cessamus in umbra,
 et tener ausuros grandia frangit Amor.

Uterque poeta eadem in condicione versatur: uterque amicum alloquitur. Qui est utroque loco poeta epicus, qui bella canit. Illis Ovidius et Propertius poetae erotici se opponunt. Uterque explicat, cur poesi amatoriae indulgeat. Nam se non sua sponte sed invitos id facere fingunt. Cf. Prop. v. 7: nec tantum ingenium quantum servire dolori | cogor . . . et Ov. vv. 4—12.

Utrumque poetam nihil aliud tractare nisi argumentum pervulgatum vides, quo poetae elegiaci se elegos exiguos, non magna opera perficere posse fatentur. Similiter atque in I 1 et III 1 etiam hoc in carmine Ovidius hanc cogitationem narratione vivide illustrat et imaginem

lepidam depingit. Poeta puellae dicit: „discede". sed illa in gremio eius considit. Cum amare se pudere dicat, amica flere incipit, eum complectitur osculaturque. Quomodo fit, ut consilio inito desistat.

Etiam aliis rebus Ovidius Propertium variare et superare studet. Propertius carmine exeunte amicum ipsum aliquando amore incensum intellecturum esse dicit, quantum carmina amatoria, quae nunc contèmnat, valeant. Quam sententiam Ovidius ita variat, ut etiam amicum libenter amatorias res operibus suis inserere fingat [1].

Quod attinet ad animi affectionem, qua poetae elegias scripserunt, Ovidius magnopere a Propertio differt. Propertius de servitio amoris querens Pontico, qui carmina amatoria eius parvi aestimet, eum poenas daturum esse praedicit. Ovidius suo more rem minus graviter vel iocosius tractat. Narrationem lepidam eum proferre supra diximus. Etiam ea re iocatur, quod Macrum non libentius bella canere quam res amatorias dicit.

Propertius carmine suo explicat, quid poesi sua assequi velit: puellas doctas se laudare vult et amatori neglecto prodesse in animo habet (cf. vv. 11 sqq.). Quam sententiam Ovidius omisit, quod rationi sententiarum ceterarum non apte respondet. Nam se a Corinna discedere conatum esse i. e. poesi amatoria desistere fingit. Quam ob rem hoc loco exponere, quid carminibus amatoriis assequi vellet, non aptum fuit. Videmus igitur Ovidium modo exemplar suum amplificare (cf. narrationem) modo sententiis quibusdam omissis contrahere. Restat, ut de duabus rebus gravissimis disseram, quibus Ovidius a Propertio discedit [1]: 1) Ovidius aliter ac Propertius ad aliud genus artis poeticae accedere revera temptavit, 2) opera enumerat, quibus hoc tempore occupatus est. Ad 1) cf. v. 13 sq.: „sceptra tamen sumpsi, curaque tragoedia nostra |

1) Cf. pag. 9 in Pohlenzi progr.

crevit, et huic operi quamlibet aptus eram." Ovidius se tragoediam componere coepisse dicit, cui operi aptus fuit sententia sua. Variat igitur argumentum, quo poetae elegiaci se ad opera magna aptos esse negant. Sed Amor risit (aeque ac I 1, 3) et eum ad poesin amatoriam revocavit. Postquam se frustra ad genus aliud transire studuisse dixit, exspectes [1]) eum nunc dicere se iam ut antea argumenta amatoria tractaturum esse, sed verba sequuntur haec (vv. 19 sqq.):

quod licet, aut artes teneri profitemur Amoris,
(ei mihi! praeceptis urgeor ipse meis.)
aut, quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,
scribimus et lacrimas, Phylli relicta, tuas etc.

De operibus suis eum dicere videmus. Eum heroidum epistulis scribendis operam dare manifestum quidem est, sed quod attinet ad verba „artes teneri profitemur Amoris" viri docti inter se non consentiunt. Qui locus eo maioris momenti est, quod viri docti eo usi sunt ad ordinem temporum exquirendum, quo Ovidius opera sua scripsit. Buerger [2]) carmen II 18 iam in editione priore Amorum fuisse putat. Contra Rand [3]) illud alterius demum editionis esse censet: verbis „artes Amoris", quas se profiteri Ovidius dicit, eum non ad artem amatoriam alludere, sed ad Amores spectare; alteram editionem post epistulas heroidum factam esse. Neque aliter Pohlenz [4]) ea verba ad Amores referenda esse et II 18 in altera editione ponendum esse putat; Ovidium enim versu 20 (ei mihi ......) ad II 19, 34 alludere.

Cum Propertius se etiam porro elegias scripturum esse in universum dicat, Ovidius accuratius de operibus

1) Pag. 9 Pohlenzi progr.

2) l. l. pag. 45.

3) The chronology of Ovids early works. American Journal of Philology 28, pag. 289 sqq.

4) l. l. p. 9 sq.

suis dicit. Eum totum carmen ideo ut exponeret, quibus operibus eo tempore operam daret, composuisse apparet. Maiore enim parte carminis (vv. 13—34) utitur, ut hanc rem demonstret. Quam mediam partem elegiae Ovidius plane per se formavit, initio et conclusione Propertium imitatus.

Propertius carmine II 33 Isidem deam devovet, quod amantes separet. Est argumentum notissimum, quo scriptores erotici Romani moleste ferunt, quod amicae temporibus sollemnium Isidem rite colentes secubant [1]). Cultus Isidis [2]) aetate Augusti Romae maxime florebat. Carmen Properti Ovidius imitatus est elegia III 10. Conferamus, quas sententias uterque suo carmine praebeat:

Prop. II 33: Cum sollemnia Isidis redierint, Cynthia decem noctes secubat (vv. 1—2). Poeta Ionem (vel Isidem) devovet, quippe quae amantes separet (3—6). Ionis in memoriam reducit eam ipsam dolores summos sensisse, cum ab Iunone in bovem mutata esset, quod Juppiter eam amabat (7—12). Iterum Ionem criminibus afficit et exsecratur (13—20). Poeta, cum Cynthia recuset, aliam puellam monet, ut sibi morem gerat. Quae cum vino bibendo non desistat, vinum devovet (21—34). Neque tamen fieri potest, quin eam vino indulgentem sibi formosissimam videri concedat (35—40). Se ipsum consolari studet, nam eam, si absit, eo maiore desiderio affectum iri sperat (41—44).

Ov. III 10: Cum sacra Cerealia venerint, Corinna a poeta separata noctes degit (vv. 1—2). Cererem poeta accusat, quod commoda amore mutuo effecta inhibeat (3—4). Cererem admonet eam ceteris in rebus omnibus

---

1) Cf. locos, ubi tales noctes amatori ingratae commemorantur: Prop. II 28 c 61. IV 5, 34. Tib. I 3, 23. Ov. I 8, 74. II 2, 25. Juv. VI 535.

2) Cf. Pauly-Wissowa, Realenzyklopädie: „Isis“.

homines beneficiis magnis semper affecisse (5—14). Poeta illam ea re, quod amantes separantur, delectari putare non potest. Nam ipsa amore vehementissimo aliquando arsit (15—24). — Illo enim tempore, quo Iasium amabat, ne agro colendo quidem iam operam dedit (25—36). In insula Creta sola tum messis magna fuit, ubi ipsa versabatur (37—42). Quamobrem poeta non decere diem festam Cereris secubitu tristri agere, sed amore cantu vino potius celebrare oportere putat (43—48).

Utrumque poetam de secubitu nocturno amicarum queri videmus. Sed cum Ovidius argumentum, quo de hoc secubitu agitur, si ad totum carmen spectas, ratione ac via pertractat, Propertius duo argumenta laxe inter se coniunxit. Duas enim partes diversas Properti carminis esse facile cognosci potest. Priore parte (vv. 1—20) in Isidem invehitur, quod amantes separat, altera parte (21—44) Cynthia sacra Isidis colente neglecta Propertium ad aliam puellam accedere apparet neque Isidis iam ulla mentio fit. Quae cum ita sint, quaerendum videtur esse, num fortasse Ovidius et Propertius argumentum, quo de secubitu puellarum agitur, e fonte communi hauserint. Opineris enim fortasse Propertium argumentum hoc altero argumento addito amplificasse. Ut de hac re recte diiudicemus, accuratius elegiae Properti et Ovidi perscrutandae sunt. Non solum argumentum, sed etiam compositio illarum simillima est. Praecipue primi versus conferendi sunt:

Prop. v. 1 sq.:

tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis,
    Cynthia iam noctes est operata decem.

∾ Ov. v. 1 sq.:

annua venerunt Cerealis tempora sacri:
    secubat in vacuo sola puella toro.

Uterque legentem statim in medias res ducit (similiter Prop. III 23, 1 ∾ Ov. I 12, 1 de tabellis!). Apud

utrumque distichon primum quasi fundamentum totius carminis est, a quo proficiscitur. Uterque priore versu primi distichi sollemnia adesse dicit, altero id quod ex ea re sequitur afferunt: puella secubat. Sed Ovidius pro Iside Cererem substituit. Anniversaria festa huius deae, cui ager colendus cordi est, Romae a mulieribus mense Augusto celebrabantur[1]).

Porro: ut Propertius (vv. 3 sqq.) Ionem devovet, ita Ovidius Cererem vituperat, quod gaudia Veneris inhibeat (vv. 3 sqq.). Ut Propertius Ionem de erroribus et cruciatu eius temporis, cum a Jove amata a Iunone vexabatur, admonet, ut demonstret iniustum ac mirum esse eam nunc amantes separare, ita Ovidius Cererem amoris Iasii commonefacit. Etiam Ovidius, quod dea ipsa quondam amore arsit, temporibus sollemnium eius puellas viduas dormire oportere non putat. Ovidi versus 15/16:

hanc quisquam lacrimis laetari credit amantum
    et bene tormentis secubituque coli?

respondet Properti versui 17:

quidve tibi prodest viduas dormire puellas?

Uterque poeta mirans cultum deae, qui iis ingratissimus est, interrogatione rhetorica utitur.

Propertius sollemnia Isidis tristia nominat (cf. v. 1), i. e. ei ipsi tristia sunt, quod illis commoda eius inhibentur. Conferri possunt Ovidi vv. 43 sq.: „quod tibi secubitus t r i s t e s, dea flava, fuissent, | hoc cogor sacris nunc ego ferre tuis“. Si consideraveris, quantam similitudinem Properti carminis pars prior et Ovidi elegia ostendant, Ovidium carmen ad exemplar Properti scripsisse putabis. Argumentum unum ratione pertractavit, alterum omisit. Cur argumentum prius ipsum tractaverit, nunc quaerendum videtur. Apparet eum narrationem proferre voluisse, qua Cererem magno amore Iasii

1) Cf. metamorphos. X 431 sq.

incensam fuisse illustratur. Poeta enim et aliis locis et hoc in carmine cognoscit, quantum ingenio suo in narrationibus talibus afferendis valeat[1]). Cum Propertius amorem Ionis breviter attingat (vv. 7—12), Ovidius Cererem in insula Creta versatam esse, ubi tanto amore incensa est, ut vel agro colendo non iam operam daret, diserte narrat (vv. 17—42). — Similiter Ovidius III 6 et aliis locis argumentum epigrammatis excultum arripuit, ut narrationem longam efficeret. — Sed ex ea re quod Ovidius Propertium variavit i. e. pro Iside Cererem substituit, commutatio vel variatio etiam aliarum rerum efficitur, quod non parvi momenti est. Affectus animi, quo Ovidius elegiam scripsit, ab habitu animi Properti plane diversus est. Propertius in Isidem, ut deam alienam, graviter invehitur, quin etiam se eam ex urbe fugaturum esse minatur (v. 19 sq.). Omnino autem alia ratione Ovidius Cererem alloquens utitur. Absurdum fuit illam deam exsecrari, quae homines agrum colere docuit et quae omnino de hominibus optime merita est. Quamobrem etiamsi initio (vv. 3/4) eam accusat, quod commoda sua inhibeat, sequenti parte carminis eam propter merita eius laudat. Cum homines tot beneficiis affecerit, eam amantibus separatis delectari putare non potest (vv. 15/16). Non iam eam vituperat, sed homines potius tamquam stultos esse putare videtur. Dubitat enim, an illi eam recte colant. Nam ex ea re, quod Ceres filiam repperit et magna regna ipsa regat, ad diem festam eius celebrandam Venere potius cantuque meroque opus esse concludit. Vides, quatenus Ovidius Propertium variaverit. Propertius omnino non dubitat, quin Isis ratione illa coli cupiat. Propertius, ut supra vidimus, se Isidem ex urbe fugaturum esse minatus erat. Contra Ovidius cultum

1) Cf. Pohlenz. Herm. 48, 1.

Cereris non exstinguere, sed commutare studet, etiamsi eum haec verba non serio dicere per se intellegitur.

Propertius et Ovidius carmina singula scripserunt, quibus pro muliere amata, quae navi proficisci parat, deos maris implorant, ut faveant. Quas elegias, quae artissime inter se cohaerent, accuratissime conferamus!

Prop. I 8a: Poeta concitatus Cynthiam alloquitur: eam rivalem sequi et Illyriam gelidam sibi anteponere atque labores magnos itineris subire velle non potest putare (vv. 1—8). Discessum amicae hieme producta tardari cupit, quin etiam optat, ne omnino dies abitus veniat (9—16). Ab versu 17 altera pars carminis 8a incipitur. Affectio animi poetae, qui Cynthiam tamen profecturam esse sentit, nunc commutatur. Quam ob rem Galateam implorat, ut amicae faveat, ne Ceraunia praetervehens calamitate afficiatur (17—20). Confirmat se Cynthiae semper fidum mansurum esse. Ex omnibus nautis, quibus occurret, quaeret, quo portu illa clausa sit. Ubicumque sit, illam semper futuram suam esse dicit (21—26).

Cum carmine VIII a artissime cohaeret VIII b. VIII a poeta dolet, quod Cynthia rivalem sequi vult, VIII b gaudio exsultat, quod precibus suis impetravit, ut illa maneret.

Prop. VIII b: Homines, qui poetae felicitati invident, decepti sunt, nam victoriam denuo peperit: Cynthia enim proficisci destitit (27—30). Cynthia amore poetae delectari mavult quam opibus maximis donari. Rivali igitur, quamquam magna dedit et maiora daturus erat, non contigit, ut Cynthiae animum sibi conciliaret (31—38). Poeta carmine blando suo animum Cynthiae flexit. Apollo et musae eum adiuverunt atque nunc gloria poetae ingens est (39—46).

Ov. II 11: Poeta navem Argo devovet, quae prima

homines navigare docuit. Corinna enim navi poficisci parat (vv. 1—8). Ab v. 9 sqq. Ovidius Corinnam a navigatione dehortatur. Timet poeta, ne venti eam perterreant (9—10). In mari nihil esse, quod mirari possit (11—14). Puellas monet, ut in litore maneant; alii iis narrent, quam periculosum sit navigare (15—22). Sero paenitentia subit, si mare tempestate sollicitatur (21—26). Tum Corinnam pallidam eum, quem sua terra teneat, felicem nominaturam esse poeta opinione praecipit (27—32).

Ab versu 33 altera pars carminis incipitur. Affectio animi poetae mutatur. Poeta Corinnam precibus suis obsecuturam non esse animo fingit. Quo posito Nereum et Nereidas rogat, ut Corinnae faveant (33—36). Optat, ut sui memor nunc vadat et mox vento secundo redeat (37—42). Se eam in litore exspectaturum esse dicit (43—48). Tum illam reversam sibi multa narraturam esse sperat (49—54). Quem diem reditus amicae quam celerrime affuturum esse cupit (55—56).

Ovidi carminis alteram partem (v. 31 sqq.) et Properti 8 a προπεμπτικά [1]) quae vocantur esse apparet. Quod genus artis poeticae temporibus poetarum Alexandrinorum floruisse constat. Gallum, qui in numero quattuor elegiacorum poetarum Romanorum primus habendus est, tale προπεμπτικόν composuisse e Vergili ecloga 10 elucet. Illud Properti animo in carmine I 8 componendo obversatum videtur esse. Propertium nequaquam servili artificio usum Gallum imitatum esse, sed argumentum amplificasse potius per se putare licet [2]), ea parte addita, quae in editionibus recentioribus nota 8 b significatur. In codicibus quidem duo carmina non distinguuntur.

---

1) De propempticis cf. Friderici Leo ‚de Horatio et Archilocho' Progr. Acad. Gott., pag. 7 sq. et Horatii editionem a Kiesslingio-Heinzio curatam, adnot. ad od. I 3.

2) Cf. Jacobyum, l. l. pag. 73 sqq.

Exquirendum nobis est, utrum duo carmina esse, ut editores volunt, an unum putandum sit. Qua de re ut recte diiudicemus, diligentissime Properti et Ovidi carmina comparandi sunt, quoniam hic non solum argumentum idem atque ille tractavit, sed etiam compositionem similem perfecisse videtur. Videamus igitur primum, quatemus poeta inter se consentiant. Et Cynthia et Corinna navi proficisci parant. Uterque poeta priore parte carminum puellam retinere conatur, tum affectu animi mutato cum intellegant se frustra verba facere, puellis, quas amore summo amplectuntur, timentes deos maris implorant, ut illas tueantur. Eo loco, quo uterque ad alteram partem carminis transit, versus simillimi inveniuntur: cf.

Prop. 8a 17/18:

sed quocumque modo de me, periura, mereris,
 sit Galatea tuae non aliena viae.

∾ Ov. vv. 33/34:

at, si vana ferunt volucres mea dicta procellae,
 aequa tamen puppi sit Galatea tuae!

— Praeterea versus 33 Ovidi versui 12 Properti respondet: „neve inimica meas elevet aura preces". —

Uterque poeta illustrat, quam periculosum sit in mari vehi: cf. Prop. v. 5: vesani ponti, v. 19 praevecta Ceraunia [1]). Ov. vv. 9/10: quid . . Zephyros . . timebo, v. 17 ventorum proelia, 18 sqq.: Scylla, Charybdis etc. enumerantur.

Properti v. 8 b 30: „destitit ire novas Cynthia nostra vias" conferendus est cum Ovidi vv. 7/8: „ecce, fugit notumque torum sociosque Penates | fallacisque vias ire

1) Etiam Horatius (od. I 3, 20) (Acro-)ceraunia promunturium commemorat, quod nautis perniciem parat. Ovidius remed. am. 739 translatione utitur, qua loca, quae amantem cavere vult, tamquam Acroceraunia esse fingit.

Corinna parat.“ Ovidius quidem Propertium variat. Nam cum apud Propertium Cynthia iter facere desistat, apud Ovidium Corinna parat. Noli id neglegere, quod Ovidius Propertium imitatus de Corinna tertia persona usus dicit, cum locis ceteris eam altera persona usus alloquatur.

At Ovidius magna cum sollertia argumentum a Propertio allatum ita retractavit, ut opus vi eius ingenii exortum esse videatur. Quatenus Ovidius Propertium variaverit et ab eo discedat, iam ex ordine colligamus:

1. Primum quod ad compositionem attinet, haec afferenda sunt:

a) Cum Propertius in medias res statim inruat, Ovidius prologum quasi primum fecit. Incipit enim a τόπῳ quodam. Nam diris navem primam et navigationem omnino devovet. Qua ratione exspectationem lectoris Ovidius commovere mihi videtur voluisse. Primos enim versus Ovidi elegiae legentes miramur, cur poeta navigationem devoveat. Versu 7 tum propositio tamquam sequitur, e qua causa exsecrandi elucet: Corinna navi proficisci parat.

b) Supra vidimus utrumque poetam primum amicam retinere studere, deinde subito affectu animi mutato deos rogare, ut puellis faveant. Ovidius parti alteri carminis, qua haec commutatio fit, duos versus 31/32 anteponit, quare transitus facilior efficitur:

tutius est fovisse torum, legisse libellos,
    Threiciam digitis increpuisse lyram,
33 at, si vana . . . . .

Verbo „tutius“ verbum „tutum“, quod exstat in versu 16: „hactenus est tutum“ i. e. in litore manere nec navigare, excipitur.

c) Imprimis conclusio Ovidi elegiae ab Properti elegia exeunte plane discrepat. Nam Corinna revera navigabit

et poeta eam redire cogitatione sibi depingit. Sed de hac parte carminis infra accuratius disserendum erit, si simul ad Ovidi carmen II 12 accedemus.

2. Etiam aliis rebus, ut compositionem carminis nunc omittamus, Ovidius a Propertio discedit, quem maiore colore rem illustrans et amplificavit et auxit. Propertius dicit v. 4: ut sine me v e n t o quolibet ire velis. Ovidius quattuor ventos enumerat vv. 9/10: quid tibi, me miserum, Zephyros Eurosque timebo | et gelidum Borean egelidumque Notum?

Multo pluribus verbis et multo dilucidius quam Propertius pericula maris Ovidius illustrat. Propertius (v. 19) Ceraunia promunturium attulerat. Ovidius non solum illud commemorat, sed etiam addit Scyllam, Charybdem, Syrtes (cf. vv. 25 sqq.). Ovidius nautam ipsum pavidum ventos horrere et mortem timere cogitatione praecipit. Intellegis Ovidium tot et tantis periculis diserte illustrandis ingenio suo indulsisse. Quod Propertius leviter tangit quodque parvi momenti apud eum est, in Ovidi carmine auctum et amplificatum valde eminet. Simul studio Propertium variandi commotus videtur esse, ut pericula maris diserte illustraret. Propertius enim Illyriam, in quam Cynthia navigatura erat, terram gelidam et nivosam esse exponit, qua descriptione illam retinere studet. Ovidius pericula terrae in mare transtulit. Etiam alia ratione Ovidius Propertium variat: nam puellis suadet, ut domi maneant, ubi alii iis pericula et terrorem maris narrent. — Eandem cogitationem Ovidius heroid. I 30 affert.

Quin etiam Ovidius per se argumenta nova, quae apud Propertium omnino non inveniuntur, intexit. Ut exemplum afferam, futurum esse cogitatione praecipit, ut Corinnam, si maximis in periculis versetur, navi profectam esse paeniteat; felicem eum ab ea nominatum iri, qui domi maneat (cf. vv. 27 sqq.).

3. Ut Ovidius argumenta nova intexit, ita singulas res certas, quas Propertius affert, omittit. Neque dicit, qua re commota Corinna proficisci in animo habeat, neque significat, quo illa navigatura sit. Quod autem momenti maximi est, in Ovidi carmine rivalis non exstat. Quare Ovidius maxime a Propertio discedit. Apud Propertium enim Cynthia praetorem divitem in Illyriam sequi animum induxit. Itaque quamquam sibi imperans non in illum invehitur, tamen poetam summa invidia atque ira affectum esse sentimus. Quod ita esse maxime e 8 b elucet, ubi victoria exsultat, qua rivalem divitem superavit. Sed cum apud Propertium rem veram subesse putare liceat, ita ut revera Cynthia rivalem aliquando sequi voluerit, quapropter Propertius ad carmen componendum adductus est, Ovidium omnia finxisse apparet. Quamobrem animum legentis Ovidi elegia minus quam Properti carmine moveri mirum non est. Cur autem Ovidius Propertium non secutus rivalem omiserit, quaerendum videtur esse hoc loco. Primum Ovidium, ut semper sua ingenii propria quam maxime potest proferre studet, non nimis Propertium imitari voluisse fortasse putandum est. Neque enim omnino imitationem perfectam praebere vult, sed eo consilio potius animum legentis ad exemplar suum delegare, ut cognoscat, quantum inter suam et Properti elegiam intersit quantumque vi sua ingenii perfecerit. Imprimis autem hoc tibi respiciendum est: rivalem non induxit ea de causa, quod in conclusione carminis aptus non est. Utrum Corinna sola iter faciat an non, cur et quo navigatura sit, nihil Ovidi interest, qui id maxime spectat, ut imagines solito more pingat et vivide illustret. Ovidius igitur cum multis aliis locis tum hoc in carmine componendo uno argumento certo utitur, quo magis eluceat, quid efficere possit. Ut pericula maris, ut supra demonstravimus, describit, ita carmine exeunte gaudium illustrat, quo amantes post reditum Corinnae affectum

iri cogitatione praecipit. De hac conclusione carminis Ovidi accuratius nobis disserendum est. Quaestio enim solvenda est, utrum Ovidius hanc partem carminis sui Properti 8 b (27—46) imitatus composuerit, quod carmen eum variasse dicat quis fortasse, an plane per se addiderit. Jacoby[1]) de hac re hanc in sententiam disputat: „Er (sc. Ovidius) hat, wie der erste Blick zeigt, das für das Gegenstück bestimmte Motiv — die Stimmung beim Bleiben oder bei der Rückkehr des Mädchens — in das erste Gedicht (= II 11) hinübergenommen, indem er 11, 37 ff. an den ersten Wunsch einer glücklichen Reise gleich den zweiten einer glücklichen Rückkehr schließt und nun sich das Glück der Wiedervereinigung ausmalt. — Das paßt hier nicht: weil Ovid von Properz die Komposition in Gegenstücken übernommen hatte . . . Er[2]) hat zwei Vorlagen benutzt, aber die Fugen der Komposition in diesem Falle nicht verwischt. Die zweite Vorlage ist Tibull I 3". Deinde Jacoby Ovidium descriptionem lepidam reditus, quam Tibullus ab versu 89 praebet, cum Propertio coniungere voluisse dicit; qualem descriptionem ut afferret, Ovidium argumentum, quo gaudium reditu amicae effectum illustratur — quod apud Propertium omnino deest — carmini II 11 addidisse.

Quin Ovidius duos versus extremos carminis 55/56:

haec mihi quam primum caelo nitidissimus alto
Lucifer admisso tempora portet equo!

scribens Tibulli I 3, 93/94:

hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

ante oculos habuerit, dubium non est. Si Ovidium totam extremam partem carminis, qua se Corinnam redeuntem ad oram maritimam exspectare et salutare etc. animo

1) l. l. pag. 77.
2) Pag. 78.

fingit, Tibullum respicientem scripsisse Jacobyo assentiri volumus, Ovidium locum Tibulli maxime variasse et amplificasse nobis statuendum est. Tibullus enim sperat Deliam sibi obviam cursuram esse, si Corcyra, ubi hoc tempore aegrotans remansit, domum redeat. Quem reditum quattuor versibus solis illustrat: cf. vv. 89—92:

tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
 sed videar caelo missus adesse tibi.
tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
 obvia nudato, Delia, curre pede!

Contra Ovidius, qui se ipsum puellam exspectare aliter ac Tibullus fingit, descriptionem longam praebet. Sed aliae res accedunt, quae, si recte iudicare volumus, neglegendae non sunt. Ovidi elegiae alteram partem (vv. 33 sqq.) προπεμπτικόν quod vocatur esse supra diximus. Est propempticorum proprium adventum vel reditum, quem poetae cogitatione praecipiunt, proficiscentis illustrare et celebrare. In Theocriti carmine septimo, ut exemplum afferam, quo Lycidas puerum amatum prosequitur, qui navi profecturus est, ille describit, quomodo diem eum, quo puer advenerit, laeta mente acturus sit (cf. vv. 52—89). Statius in propemptico Metio Celeri sacrato (cf. vv. 129—143) animo fingit se in litore stantem iterum ut hoc momento temporis, quo amicus discessurus est, redeuntem exspectare et excipere. Cum congressum describit tum se invicem narraturos esse, quid altero absente factum sit, dicit. Neque aliter Ovidius Corinnam sibi narraturam esse, quanta pericula subierit, cogitatione sibi depingit. Quae cum ita sint, Ovidium totam partem extremam carminis II 11, qua congressum describit, non scripturum fuisse, nisi Tibulli locus ei obversatus esset, non iam pro certo dici potest, etiamsi illos versus duos ultimos supra allatos (pag. 99) respexit. Ego quidem putare malim Ovidium propemptici rationem componendi secutum congressum descripsisse. Qua in parte

scribenda locus Tibulli in mentem eius venit, quem in usum suum ita vertit, ut duos ultimos versus, quibus Tibullus diem congressus mox affuturum esse speraverat, imitatus carmen apte concluderet non aliter ac Tibullus. Nondum autem quaestionem solvimus, num Ovidius Properti 8 b respiceret. Jacoby putat Ovidium affectum laetitiae, qua Propertius animo Cynthiae flexo est, in idem carme II 11 reiecisse, quod fieri potuisse concedendum est. Reditum Corinnae Ovidium rationem propemptici componendi secutum et affectum magnae laetitiae, qua Propertius 8 b movetur, respicientem illustravisse cogitare licet. Quo in congressu describendo sententiam repetit, quam antea protulerat: vv. 21 sqq. enim puellis suadet, ut alii iis pericula maris narrent, quae omnia credant: „quod quisque loquetur, credite", cui versui respondet v. 53: „omnia pro veris credam". Ovidius igitur iterum argumentum idem variatum praebet. Denique ne hoc quidem neglegendum est: verisimile videtur Ovidium operam dedisse, ut reditum diserte illustratum discessui Cynthiae opponeret, quem Propertius diserte describit. Ut enim Propertius se tristem in litore stantem videre naves proficisci cogitatione fingit (vv. 13 sqq.), ita Ovidius primus navem redeuntem aspicit et laetus in litore amicam exspectat (vv. 43 sqq.). Ovidius longius progreditur quam Propertius: hic enim (8 a 23 sqq.) se nautas citatos rogitaturum esse dicit, ubi Cynthia versetur, Ovidius se cum Corinna reversa in litore congredi cogitatione praecipit. Reditum et congressum ipsum Ovidius solito more vivide illustrat imagine dilucide depicta: Corinnam umeris excipiet et oscula carpet; tum in harena consident et Corinna multa narrabit. Quam imaginem ipsam depingere Ovidi maxime interfuit, ut supra diximus. Quae cum ita sint, intellegas, cur rivalem omiserit. Nam si amica cum rivale redisset, Ovidius neque nimia laetitia affectus esset eum videns, qui felicior quam ipse erat,

neque omnino ratione supra demonstrata Corinnam excipere potuisset.

Iam accedamus ad Ovidi II 12. Nam etiam inter hanc elegiam et Properti I 8 certa ratio intercedit.

Ovidi II 12: Poeta gaudio exsultat. Corinna enim quamquam diligenti custodia servata est, tamen ei morem gessit (vv. 1—4). Victoria praecipuo triumpho digna est, quod praeda sine caede parta est (5—6). Multo plus rebus bello gestis valet (7—10). Hanc victoriam a se ipso viribus suis solis partam nec casu factam esse dicit (11—16). Causam belli novam non esse; nam iam antea saepissime bella propter feminas exorta esse (utitur exemplis Helenae, Hippodamiae, Laviniae, Sabinarum raptarum; etiam è vita animalium exemplum affert, quo tauros pro coniuge inter se pugnare illustrat) (17—26). Item se ipsum Cupidine duce sine caede pugnavisse dicit (27—28).

Quam elegiam apparet carmen, ut ita dicam, triumphale esse, quo poeta summa laetitia exsultat, quod animum amicae sibi conciliavit. Quod attinet ad affectum animi, quo scripta est, eam maxime cum Properti 8b consentire manifestum est. Sin rationem sententiarum et dispositionem perspicis, illa carmina multum inter se differre intellegas. Imprimis argumentum, quo Propertius se carmine blando suo Cynthiae animum movisse illustrat, in Ovidi elegia omnino deest. Neque etiam Ovidius ut Propertius victoria exsultat, quod rivalem vicit. Praeterea hoc respiciendum est: cum Properti 8b artissime 8a cohaeret, ita ut duo carmina plane inter se respondeant et compleant. Contra Ovidi II 12 cum II 11 ratione sententiarum coniunctum non est. Neque enim in II 12 usquam Corinnam itinere destitisse narratur. Quamobrem primo obtutu dubium videtur, an Ovidius II 11 et 12 simul et Properti 8a et 8b respiciens, ita ut rationem componendi imitaretur, qua Propertius 8a et 8b

inter se contraria respondere voluit, composuerit. Tamen rem ita se habere facile cognosci potest. Conferendi enim sunt imprimis Ovidi carminis versus primi et Properti 8 b vv. 27/28:

Ov. vv. 1/2:

ite triumphales circum mea tempora laurus,
vicimus: in nostro est, ecce, Corinna sinu.

Prop. 27/28:

hic erat, hic iurata manet, rumpantur iniqui.
vicimus: adsiduas non tulit illa preces.

Uterque poeta alterum versum distichi a verbo „vicimus" incipit, tum dicit, qualem victoriam pepererit. Ovidium locum Properti imitatum esse apparet. Cum autem Ovidius, qui Properti 8 a et b imitatus est, duo carmina diversa praebeat (II 11; II 12), etiam Properti carmen 8 in duas elegias dividendum esse verisimillimum fit[1]), quas artissime inter se cohaerere et respondere per se intellegitur. Accedit, quod, si carmen 8 unum esset, omnis transitus a priore ad alteram partem desideraretur et commutatio nimis subita fieret. Nam cum versibus antecedentibus se nautas rogitaturum esse, ubi Cynthia sit, poeta narret, eum nunc in eodem carmine sine ullo transitu dicere Cynthiam adfuisse mirum est. Sed etiamsi Ovidius Properti elegia I 8 b commotus est, ut II 12 scriberet, tamen carmen ipsum plane aliter atque illam compositum et formatum esse videmus. Non casum certum Ovidius finxit, sed in universum victoria parta gloriatur, quod Corinnae animum sibi conciliavit. Exea re, quod elegia 12 elegiam 11 sequitur, iterum apparet Ovidium efficere voluisse, ut legentes Properti carminibus 8 a et b in comparationem vocatis intellegerent, quid consequi posset. Ovidius in carmine 12 componendo etiam aliud carmen amici respexit: Prop. II 14.

---

1) Item de hac re Jacoby iudicat, cf. pag. 77.

Prop. II 14: Poeta nocte praeterita summis gaudiis Veneris una cum Cynthia delectatus est. Quae multo maiora fuerunt iis, quibus heroes victoria bello parta etc. affecti sunt (vv. 1—10). Antea nihil ad Cynthiae animum flectendum valuit. Nunc autem illa fastus iniquos omittit. Dolet poeta, quod tam sero cognovit, qua condicione illam sibi conciliare posset (11 –18). Qua de causa amantibus suadet, ut idem quod ipse faciant: puellam contemnant (19—22). Victoria nunc parta poetae potior videtur esse quam victoria bello parta. Quam ob rem Veneri dona magna dare vult (23—28). Nunc se Cynthiam tuto amore amplexurum esse sperat. Se moriturum esse dicit, si forte iterum aliqua culpa sibi mutetur (29—32).

Vides Propertium non aliter atque Ovidium in II 12 victoria parta exsultare. Differunt autem poetae inter se maxime his rebus: Propertius condicionem novit, sine qua animum amicae flecti non posse sensit. Quod argumentum in Ovidi elegia deest. Contra apud Ovidium ea sententia maxime elucet, qua se ipsum solum nullo adiuvante amicam vicisse exprimit. Deest etiam aqud Ovidium argumentum, quo Propertius se Veneri gratiam debere illustrat. Sed quamquam inter Properti et Ovidi elegiam tantum interest, tamen carmen Properti Ovidio obversatum esse e compluribus locis et sententiis similibus cognoscitur. Uterque poeta amorem cum militia et victoriam amore partam cum victoria bello parta comparat. Qua comparatione sive metaphora quidem usos poetas τόπον usitatum sequi consentaneum est. Ovidius solito more definitius et disertius quam Propertius hanc comparationem pertractat cf. vv. 13/14: „me duce ad hanc voti finem, me milite veni; | ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui.“

Sed iam magis progrediamur. Verbum triumphi, quo Propertius utitur: v. 1 „non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est“, Ovidius excipit et ter adhibet:

v. 1: „triumphales .... laurus." v. 5: „haec est .. digna triumpho". v. 16: huc ades ... Triumphe!"

Loco sequenti Ovidium Propertium variare studere dilucide apparet:

Prop. v. 1 sq.:

non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
cum caderent magnae Laomedontis opes.

∾ Ov. vv. 9 sq.:

Pergama cum caderent bello superata bilustri,
ex tot in Atridis pars quota laudis erat?

Nam cum Propertius gaudium, quo amore delectatus affectus est, exemplis e fabulis mythologicis in comparationem vocatis maximum esse illustret, Ovidius non tam gaudet, quod omnino Corinnam vicit, quam quod ipse nullo adiuvante victoriam sibi paravit. Qua re eo magis legentem intellegere vult, quantum assecutus sit. Eodem consilio, ut cognosceremus, quantum victoria valeret, antea (vv. 3 et 4) Corinnam diligentissime custoditam esse neque ulla arte capi potuisse illustraverat. Propertium igitur, qui comparationem praebet, Ovidius rem augens superare studet.

Versibus Properti 23 et 24:

haec mihi devictis potior victoria Parthis,
haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.

Ovidi versus 5 et 6 respondent:

haec est praecipuo victoria digna triumpho,
in qua, quaecumque est, sanguine praeda caret.

Non dubium est, quin sententia, qua Propertius victoriam a se partam multo plus valere victoria bello parta demonstrat, animum Ovidi moverit. Quam sententiam arripuit et auxit. Tum per se adiecit argumentum, quo feminas semper causas bellorum fuisse exponit (ab v. 17 sqq.). Quo argumento allato eum illustrare voluisse causam suam belli non parvam esse apparet.

Iam satis de imitatione, qua Ovidius Properti carmina I 8a et b et II 14 in usum suum convertit, disseruisse mihi videor. Breviter igitur comprehendere liceat, quod hac de re statuendum videtur esse. Properti carmen I 8, quod in codicibus unum est, in elegias duas dividenda est. Properti I 8a Ovidius in elegia II 11 componenda imitatus est. Ut apud Propertium 8a et b inter se respondent, ita Ovidius elegiam II 11 facit sequentem II 12, quae quidem cum II 11 ratione sententiarum conexa non est. Sed Ovidius cum Propertium varians iam in II 11 argumentum attulisset, quo se Corinnam in litore excipere cogitatione praecipit, ad carmen II 12 componendum et disponendum Properti 8b exemplari non iam uti potuit. Properti elegia 8b quidem adductus est, ut elegiam II 12 scriberet, sed compositionem ipsam Properti carmen II 14 respiciens perfecit.

Superest de quo quaeramus carmen Ovidi I 8, quod cum Properti elegia IV 5 similitudinem maximam ostendere iam pridem a viris doctis cognitum est. Uterque poeta artem amatoriam praebet, nam lenam inducit, quae puellam docet, qua ratione amatores expilare possit. Quibus de praeceptis amandi accuratius tractandum est. Leo[1]) argumenta et personas, quae nova comoedia excultae essent, in poesin Alexandrinorum et quidem imprimis in elegiam pervenisse demonstravit. Mihi persuasit elegiacos poetas Romanos argumenta, quae eadem in comoedia Romana inveniuntur, ab elegiacis Graecis sumpsisse, qui ipsi ea ex comoedia Attica deprompserunt. In numero personarum comoedia excultarum meretrix est, quae aetate provecta partes lenae agit. Hanc artem amatoriam plane comoedia excultam esse Leo exemplis e Plauti Most. I 3, Poen. I 2, Asin. I 3 allatis illustravit. Elegiaci poetae

1) l. l. pag. 143 sqq.

artem amatoriam in usum suum converterunt ipsi partes docentis agentes. Qua ratione usus Ovidius doctrinam totam omnibus ex partibus pertractavit et perfecit arte amatoria sua. Leo iam adnotaverat[1]) Aristaeneti, qui haec praecepta amandi ipse ex elegia deprompsisset, epistulam I 14[2]), qua meretrix sorori natu minori praecepta dat, Properti carminis IV 5 versibus 53 sqq. similem esse. Tum Hoelzer, qui dissertatione sua id spectat, ut ex comoediis Atticis non solum sententias aut argumenta amatoria, sed etiam certas comicas personas in Alexandrinorum et deinceps in Romanorum elegos pervenisse plurimis exemplis e comoediis, elegiis, epigrammatis, epistulis eroticis allatis demonstret, multos locos similes comparavit, qui in Properti elegia IV 5 et Ovidi I 8 et apud alios scriptores exstant. Imprimis contulit Properti IV 5, 54 sqq. et Ovidi I 8, 57 sqq. cum Aristaeneti (I 14) verbis: κέρδει μόνον δουλεύομεν, οὐ θελγόμεθα μελῳδίαις. τί δὲ καὶ ᾄδοντες ἔφητε· οὐκ ἐπιθυμεῖς, ὦ παρθένε, γενέσθαι γυνή; Putat igitur Propertio et Ovidio fortasse idem exemplar Alexandrinorum subesse[3]).

Buerger[4]) Ovidium carmen Properti secutum esse iudicat, sed fieri potuisse concedit, ut uterque ex fonte communi hauriret. Alio loco[5]) opusculi sui priorem sententiam sequi mavult atque verisimile esse dicit Propertium tales elegias iam apud Graecos invenisse neque primum, quamquam comoediae novae bene peritus fuisset, praecepta haec amandi ad elegiam formandam adhibuisse.

A Buergero Gollnisch discedit, qui, licet Propertium sive eius auctorem expressisset, ad comoediam ipsam

1) Pag. 147 [4]).

2) ἀλλ᾽ ἔγωγε παλαιᾷ συνοῦσα πορνοδιδασκάλῳ τῇ ἀδελφῇ . . . . οὐδὲν ἔδοξα δυσμαθής κ. τ. λ.

3) l. l. pag. 81.

4) l. l. pag. 12.

5) Pag. 128.

Ovidium accessisse putat[1]). Plauti Most. I 3 scaena in comparationem vocata hanc in sententiam iudicat[2]): „Probabile igitur est Ovidium in elegia am. I 8 componenda ex Plauti exemplari sua deprompsisse.“

Reitzenstein[3]) iudicat non esse, cur Ovidio elegiam Graecam subfuisse putemus; scaenam potius comicam eum in usum suum convertisse. Atque alio loco[4]) manifestum esse ῥῆσιν talem, qualis comoediae propria sit, in Properti IV 5 adhibitam esse dicit.

Denique afferre mihi liceat, quod Heinemanno[5]) statuendum esse visum est. Aristaeneti epistula I 14 accurate in comparationem vocata similitudinem, quae inter elegias et epistulam intercedat, ad sententiam communem ipsamque vitam reducendam esse concludit.

Vidimus igitur viros doctos inter se non consentire. Nobis est propositum exquirere, quae ratio inter Propertium et Ovidium intercedat et quomodo hic illum imitatus sit. Itaque ad carmina ipsa accedamus!

Prop. IV 5: Poeta lenae, quae modo ante mortua est, male precatur (vv. 1—4). Vel Hippolytum et Penelopen corrumpere potuit (5—8). Qua audacia et calliditate fuit, omnem modum transiit (9—16). Etiam poetae veneficio nocuit; imprimis autem ei calamitatem intulit Cynthia corrupta (17—20).

Praecepta lenae, quae Cynthiae dat, sequuntur:

Si ei divitiae placeant, fidem et pudorem neglegat et mendaciis utatur (21—28). Sequuntur praecepta certa singula, quae secutam cupiditatem et amorem virorum Cynthiam augere lena vult (29—45). Divites amatores omni delectu ac discrimine remoto ut intromittat, ei prae-

1) l. l. pag. 19 sqq.
2) Pag. 21.
3) l. l. pag. 154 sqq.
4) Pag. 166.
5) l. l. pag. 84 sq.

cipit (46—52). Eum, qui tantum versus afferat, excludendum esse (53—56). Cynthiam cohortatur, ut fructum capiat e forma, dum aetate floreat (57—60).

Poeta paene perit, quod lena hoc modo amicam corrupit. Sed iam illa poenas solvit: nam tussit et sputum cruentum evomit et brevi post morbo absumitur. Nemo exsequias eius prosequitur (61—72). Poeta iterum lenam exsecratur; ne mortua quidem acquiescat (73—76).

Carmen e tribus partibus constare dilucide apparet. Exordium continetur versibus 1—20, pars media carminis versibus 21—60, conclusio versibus 61—76. Mediam partem, quam verba lenae efficiunt, gravissimam esse per se intellegitur. Quae pars tamquam imago est, quae exordio et conclusione includitur. Prima parte et tertia, quae inter se respondent, poeta in lenam invehitur; prima parte eam veneficam callidissimam fuisse narrat, tertia morbum eius et mortem describit. Propertium totum carmen ad id ipsum, ut praecepta lenae proferret, scripsisse apertum est.

Iam transeamus ad Ovidi elegiam I 8:

Ov. I 8: Lena Dipsas ex siti perpetua nomen habet (vv. 1—4). Ut est artium magicarum perita, res miras efficere potest (5—20).

Aliquando casu poeta clam praecepta audivit, quae lena Corinnae dabat. Quam lenam haec fere dicentem facit Corinnae:

Iuvenem amore eius inflammatum esse, quod mirum videri non possit, qua pulchritudine sit (23—26). Optat, ut puella felix sit; sperat enim se ipsam ea divite facta pauperem non iam futuram esse (27—28). Occasionem ei afferri: amatorem divitem et pulchrum esse (29—34).

Iam singula praecepta lenae sequuntur: pudicitiam simulare utile esse etc. (35—54). Eum, qui pecuniam ferat, anteponendum esse ei, qui tantum versus afferat; ne quem divitem despiciat, quamvis loco humili natus sit

(55—72). Cupiditatem viri augere studeat (73—76). Nonnumquam amatori irascatur; occasione data flere vel periuria facere multum prodesse (77—86). Amatorem quacumque ratione expilandum esse (87—94). Caveat, ne ille nullo rivali securus se amet (95—102). Si haec praecepta secuta sit, eam sibi gratiam habituram esse (103—108).

Poeta umbra sua proditus est. Vix se retinere potuit, quin lenae comas et oculos distraheret (109—112). Ei diras imprecatur (113—114).

Vides utrumque poetam non solum argumentum idem, sed etiam eandem dispositionem praebere. Describunt condicionem eandem: lena puellae praecepta dat, poeta personae mutae partes agens verba eius audit. Ut Propertius, antequam lenam dicentem faciat, prologum quasi anteponit, quo artes magicas lenae illustrat, ita Ovidius prima parte carminis (1—22) legentes docet, quae lena Dipsas sit qualiumque artium magicarum perita sit. Quam partem non aliter atque apud Propertium verba lenae sequuntur, quae partem gravissimam totius carminis efficere manifestum est. Cui parti mediae conclusio addita est, qua forma totius elegiae aeque ac Properti carminis absolvitur quaque in parte et Propertius et Ovidius lenam devovet.

De initiis carminum Properti et Ovidi Reitzenstein[1]) haec verba fecit: „So (= sc. rhetores et poetae a brevi narratione incipiunt, quo magis legentes sequentia intellegant) behandelt die προσωποποιία bekanntlich Ovid, der am. I 8 mit den Worten:

Est quaedam (quicumque volet cognoscere lenam,
audiat!), est quaedam nomine Dipsas anus.

klar ausspricht, daß er ein solches progymnasma, die typische Rede der Kupplerin, geben will. Sein Vorgänger

---

1) l. l. pag. 155.

Properz (IV 5) hat noch als Hülle die elegische Form der 'Αραί gewählt."

Dirae, quibus Propertius initio carminis in lenam invehitur, apud Ovidium non occurrunt. Sed etiamsi versus primos prooemii Ovidius per se usum rhetorum secutus scripsit, nondum apparet eum totam partem illam Propertio nihil valente composuisse. Ut enim Propertius prooemio artes magicas lenae describit, ita etiam Ovidius progreditur. Apud utrumque igitur lenam simul partes veneficae agere videmus. Ut autem Ovidium et Propertium τόπον quendam has artes magicas demonstrantes plane sequi concedendum est, sic, quod uterque eodem loco carminis descriptionem hanc affert, haud parvi momenti est. Accedunt permulti loci similes singuli eiusmodi, ut alterum poetam ab altero pendere pro certo dici possit.

Quos locos similes per ordinem nunc afferre mihi liceat:

a) Lena apud utrumque ebriosa[1]) est:

Prop. v. 2:

et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim,

et v. 73:

sit tumulus lenae curto vetus amphora collo.

Ov. 2—4:

. . . . Dipsas anus.
ex re nomen habet: nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.

b) Hippomanis venenum commemoratur apud utrumque, quo lenae utuntur:

Prop. v. 18:

hippomanes fetae semina legit equae.

Ov. v. 8:

scit bene . . . quid valeat virus amantis equae.

---

1) Anus vinulenta in comoediis saepe occurrit. Cf. Plaut. Curc. I 1, 76. Etiam in epigrammatis eadem invenitur: cf. A. P. VII 353. 455. Athen. X 440 d.

c) Maioris momenti est, quod uterque lenam veste mira indutam depingit. Apud Propertium enim corpus lupi pelle texit, apud Ovidium plumis.

Prop. v. 14:

et sua nocturno fallere terga lupo.

Ov. 13/14:

hanc ego nocturnas versam volitare per umbras
suspicor et pluma corpus anile tegi.

d) Properti versibus 5 sqq.:

docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
. . . .
Penelopen quoque neglecto rumore mariti
nubere lascivo cogeret Antinoo.

respondet versus 19 Ovidi:

haec sibi proposuit thalamos temerare pudicos.

Occasione data etiam omnes locos alios similes affero:

e) Permulta praecepta eadem vel similia sunt: uterque puellae, ut fructum e forma capiat, suadet, dum aetate floreat, quae celeriter labatur:

Prop. vv. 57—60:

dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
utere, ne quid cras libet ab ore dies.
vidi ego odorati victura rosaria Paesti
sub matutino cocta iacere noto.

Ov. vv. 49 sq.:

labitur occulte fallitque volubilis aetas,
et celer admissis labitur annus equis.

f) Rugae incommodo puellis sunt:

Prop. 57:

. . . dum rugis integer annus, | utere . . .

Ov. 45/46:

has quoque, quae frontis rugas in vertice portant,
excute: de rugis crimina multa cadent.

g) Imprimis hi loci comparandi sunt:

Prop. 54 sqq.:

versibus auditis quid nisi verba feres?
„quid iuvat ornata procedere, vita, capillo . . . . ?“
qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
istius tibi sit surda sine aure lyra.

Ov. 57 sqq.:

ecce, quid iste tuus praeter nova carmina vates
donat? amatoris milia multa leges.
Ipse deus vatum palla spectabilis aurea
tractat inauratae consona fila lyrae.
qui dabit, ille tibi magno sit maior Homero.

Utroque loco lena puellae praecipit, ut poetam tantum versus afferentem excludat. Quod argumentum in comoediis non occurrit, quantum video.

h) Lenae puellas ne eos quidem, qui servi fuerunt, contemnere iubent:

Prop. 49 sqq.:

nec tibi displiceat miles non factus amori . . . .
aut quorum titulus per barbara colla pependit,
caelati medio cum saluere foro.

Ov. 63/64:

nec tu, siquis erit capitis mercede redemptus,
despice, gypsati crimen inane pedis.

i) Puellae monentur, ut simulent et causas fingant. Lenae iis suadent, ut Isidis dies festos esse dicant:

Prop. 29 sq.:

. . . utere causis: | maior dilata nocte recurret amor.
34 fac simules puros Isidis esse dies.

Ov. 73 sqq.:

nec nocuit simulatus amor, sine credat amari,
et cave, ne gratis hic tibi constet amor!

saepe nega noctes: capitis modo finge dolorem,
et modo, quae causas praebeat, Isis erit.

k) Prop. v. 47 sq.:

ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
surdus in obductam somniet usque seram.

∼ Ov. v. 77:

surda sit oranti tua ianua, laxa ferenti.

l) Prop. v. 27:

sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant.

∼ Ov. v. 85:

nec, si quem falles, tu periurare timeto.

m) Apud Propertium lena Cynthiae praecipit, ut servas dies festos esse dicere iubeat, quibus amatores dona afferant. Cf. vv. 35 sqq.:

ingerat Apriles Iole tibi, tundat Amycle
natalem Maiis idibus esse tuum.

In Ovidi elegia servis similes partes tributae sunt. Nam ab iis secundum lenae praecepta amator cognoscet, quae dona puella cupiat: v. 87:

servus et ad partes sollers ancilla parentur,
qui doceant, apte quid tibi possit emi.

Praeterea lena Ovidi Corinnam aeque atque apud Propertium simulare, si causae desint, natalem diem suum adesse vult: cf. v. 93/94:

cum te deficient poscendi munera causae,
natalem libo testificare tuum!

n) Imprimis lenae puellas cohortantur, ut operam dent, ut amatores stimulis amoris et invidiae rivalis sollicitentur:

Prop. vv. 39 sqq.:

semper habe morsus circa tua colla recentes,
litibus alternis quos putet esse datos.

Ov. vv. 95 sqq.:

ne securus amet nullo rivale caveto:
    non bene, si tollas proelia, durat amor.
Ille viri videat toto vestigia lecto
    factaque lascivis livida colla notis;
munera praecipue videat, quae miserit alter.

. . . .

Multa his ex argumentis allatis — imprimis e, f, l, n etc. — locos communes in poesi erotica esse apertum est[1]. Si talia exempla pauca invenirentur, nihil valerent. Sed respiciendum est permultos locos similes in Properti et Ovidi elegia exstare. Quorum in numero tales sunt, ut rationem certam inter Propertium et Ovidium intercedere pro certo dici posse videatur: cf., ut exemplum afferam, locum nota g significatum. Maximi autem momenti est, quod verba Latina inter se consentiunt. Quamobrem Propertium et Ovidium inter se pendere omnibus causis, quae supra allatae sunt, respectis concedendum est. Aut Propertius aut Ovidius recta via ex alterius carmine sua hausit. Uter igitur alterum imitatus sit, nunc exquirendum est. Nam cum plerumque, quod attinebat ad exempla supra allata, Ovidium imitatorem esse consentaneum sit, quoniam Propertius carmina, de quibus actum est, prius scripsit, hoc loco res intricatior est. Nam Ovidium priorem esse cogitari potest. Librum enim quartum Properti inter annum a. Chr. n. 22 vel 21, quo librum tertium editum esse scimus, atque annum 16 compositum esse statuendum est. Novissima autem res gesta, ad quam Ovidius in Amoribus (I 14, 45 sqq.) alludit, victoria est, qua Augustus Sugambros anno a. Chr. n. 16 superavit. Quae cum ita sint, quaestionem nostram solvi non posse apparet nisi interpretatione et compa-

1) Hoelzer plurimos locos similes huiusmodi collegit. Cf. l. l. pag. 79 sqq.

ratione accuratissima. Non solum quatenus poetae inter se consentiant, sed etiam quantum inter se differant, investigandum est atque semper id spectandum est, ut omnibus locis exquiramus, uter sententiam vel argumentum prior adhibuisse videatur.

Cum Propertius in lenam mortuam invehatur, in Ovidi elegia de vivente agitur. Quomodo hoc factum sit, quaerendum videtur. Ovidius comoediam respexit, ut Reitzenstein et alii viri docti ostenderunt. Accuratius cognoscamus, cur id putandum sit. Propertius postquam (vv. 1—20) de lena ipsa et artibus magicis eius dixit, ab versu 21 subito sine ullo transitu lenam dicentem et Cynthiae, cuius antea nusquam mentionem fecit, praecepta amandi dantem facit. Neque se ipsum verba lenae audivisse nobis dicit, quod e ratione sententiarum nobis ipsis potius concludendum est. Vides igitur Propertium laxe, ut ita dicam, carmen composuisse. Plane alia ratione Ovidius utitur, qui scaenam veram praebere studet. Dicit, aliter ac Propertius, dilucide se ipsum ex occulto loco verba lenae audivisse: cf. vv. 21 sq.:

fors me sermoni testem dedit; illa monebat
talia (me duplices occuluere fores).

Simillima est scaena illa Most. I 3[1]), qua Scapha ancilla partes lenae intuens Philematio meretrici praecepta dat, dum Philolaches adulescens occulte sermonem captat. Ovidium ad comoediam ipsam accessisse etiam e locis elucet, quos Gollnisch[2]) attulit: cf. Ovidi vv. 109—114, quibus poeta se vix manus retinere potuisse fingit, quin lenae vim inferret, cum Most. vv. 292, 203, 192/193[3]).

1) Cf. Gollnisch, l. l. pag. 19 sqq.

2) Cf. pag. 20.

3) Cf. imprimis Plauti v. 203: vix comprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici. et v. 293: nimis diu abstineo manus. ~ Ov. vv. 110 sqq.: at nostrae vix se continuere manus, | quin albam raramque comam lacrimosaque vino | lumina rugosas distra-

Praeterea Ov. vv. 39 sq. ∼ Most. 188 sqq. Ut Philolaches subito apparet, ita etiam Ovidius, quem umbra prodidit. Aliud accedit, quo comoediam ipsam in carmen Ovidi componendum valuisse videtur demonstrari. Ovidium ea re Propertium superavisse putare licet, quod rem vividius et dilucidius describit. Non solum enim poetam subauscultantem atque postremo ira incensum prodeuntem videmus, sed etiam puellam erubescentem: cf. v. 35: „erubuit“. Corinna nondum omni pudicitia caret similiter ac Philematium Plauti, quae Philolachi fidem servare mavult. E vultu puellae tamquam cognoscere lena videtur, quid haec sentiat, cum dicit v. 67:

quin, quia pulcher erit, poscet sine munere noctem?

Versu 23 lena Ovidi puellam interrogat:

scis here te, mea lux, iuveni placuisse beato?

Lena igitur a certo iuvene orditur, tum in universum exponit, qua ratione viris expilandis quaestus faciendus sit. Contra Propertius transitu non parato statim lenam in universum de viris expilandis et decipiendis dicentem facit. Prior pars orationis lenae Ovidi, qua de iuvene illo dicit, usque ad versum 34 pertinet, quo loco verbum „erubuit“ interiectum est. A versu 35 pars altera incipitur, qua praecepta ipsa viros expilandi continentur. Ovidius certam personam iuvenis fingere studet. Nam non solum dives est, ut poetae erotici rivalem opulentum esse queri solent, sed etiam pulcher.

Quibus rebus demonstratis dubium non videtur esse, quin Ovidius e comoediis ipsis sua hauserit. Itaque Ovidium propius ad fontem ultimum accessisse quam Propertium statuendum est. Sed quamquam Ovidium, cum ita res se habeat, priorem esse putare velis, tamen rem

---

herentque genas. Vides etiam verba singula inter se concordare. Neque tamen similitudo tanta est, ut Ovidium illos locos Plauti ipsos respexisse putare liceat.

in contrariam partem accipiendam esse i. e. Ovidium Properti elegiam imitatum esse, etsi simul eum ad comoediam accessisse negari non potest, explicare studebo.

Oratio lenae, quam Propertius praebet, per quadraginta versus pertinet; apud Ovidium autem verba lenae octoginta versus efficiunt i. e. oratio lenae ab Ovidio ficta bis tanta est quanta Propertiana. Ovidius orationem solito more distraxit et amplificavit et auxit. Nam cum saepissime Ovidium argumenta Properti amplificasse intellexerimus, eum etiam hoc carmen Properti amplificasse et auxisse putare licet. Multa praecepta accuratiora et excogitatiora videntur esse quam apud Propertium. Neque Propertium his locis argumenta Ovidi minuisse arbitrari licet, sed, ut dixi, Ovidium magistrum auxisse potius verisimillimum est. Iam nonnulla exempla, quibus rem ita se habere demonstretur, afferam.

a) Lenae avaritia magis apud Ovidium elucet: cf. vv. 28 sq.:

tam felix esses quam formosissima, vellem:
non ego, te facta divite, pauper ero.

b) Versibus 87 sqq. Ovidi in elegia lena servos parandos esse dicit, ut semper amatorem doceant, quae dona apta emenda sint. Non solum puellam, sed etiam servos, sororem, matrem, nutricem amatorem expilare vult lena: cf. vv. 89—92:

et sibi pauca rogent: multos si pauca rogabunt,
postmodo de stipula grandis acervus erit.
Et soror et mater, nutrix quoque carpat amantem.

c) Lena pudorem quidem simulare prodesse dicit, sed puellae praecipit, ut gremium deiectis oculis spectans bene respiciat, quantum quisque ferat: cf. vv. 37 sq.

d) Dilucide lena Ovidi saepius permultis amatoribus opus esse dicit: cf. vv. 54 sqq.:

aera nitent usu, vestis bona quaerit haberi,
. . . . . .
forma, nisi admittas, nullo exercente senescit,
nec satis effectus unus et alter habent.

v. 89:

. . . multos si pauca rogabunt.

e) Aetatem et formam celeriter perire similitudinibus usa disertius lena Ovidi exponit: cf. vv. 49 sqq. quam Properti lena.

f) Propertius versibus 54 sqq. lenam dicentem carmina nihil valere facit. Rem auget Ovidius: cf. 61:

qui dabit, ille tibi magno sit maior Homero.

g) Properti lena dicit v. 55/56:

qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
istius tibi sit surda sine aure lyra.

A lyra profectus Ovidius sententiam variat et auget: cf. v. 59 sq.:

ipse deus vatum palla spectabilis aurea
tractat inauratae consona fila lyrae.

Vel Apollo, deus vatum, aurum amat. Quamobrem mirum esse puellam poetam aliquem pauperem intromittere putat.

h) Propertius v. 31 lenam suadentem facit puellae, ut ab amatore, si ira incensus longius progressus sit, eo plus pecuniae postulet. Ovidius solito more variatione utitur rem augens: cf. v. 79:

quasi laesa prior, nonnumquam irascere laeso.

i) Quo magis rem augeat, Ovidius argumentum addit, quod apud Propertium deest: cf. v. 78

audiat exclusi verba receptus amans.

Ut hoc efficiat, lena puellae suadet. Nam ita amatorem timentem, ne puella rivalem recipiat, impelli, ut plus pecuniae det, lenam putare apertum est.

k) A Propertio discedens Ovidius similiter rem augere studet vv. 100 sqq., quibus lenam callidissimam esse apparet. Suadet enim hoc loco puellae, ut ipsa, si ei dona desint, emat, quae a rivali data esse simulet.

l) Alia exempla huiusmodi inveniuntur in versibus 69/70, 75/76, 81 sqq.

m) Denique Propertius (v. 2) optaverat, ut lena vel in sepulcro siti vexaretur. Carmine exeunte (v. 73 sq.) illam vinulentam fuisse iterum significare vult optans, ut tumulus ei amphora [1]) vetus collo curto sit. Ovidi in carmine lenae nomen Dipsas est, quo eam multibibam esse poeta significare vult. Rem in maius extollit versibus 3 et 4, quibus eam mane semper ebriam esse dicit. — Etiam artes magicas, quarum lena perita est, diserte tractat. Propertius quoque eas attulerat (vv. 9—18); Ovidius eas accuratius (vv. 5—18) describit et exemplis miris allatis Propertium superare videtur velle. Simul Tibulli I 2, 43—52 respicit, ubi artes magicae lenae item describuntur (cf. imprimis Ov. 9/10 ∼ Tib. 49/50. Ov. 17/18 ∼ Tib. 45/46).

Etiam hac re Ovidium a Propertio pendere verisimile fit: Ovidium totum carmen minus laxe quam Propertium composuisse dici potest. De carmine Properti Rothstein [2]) haec verba fecit: „Man wird zugeben müssen, daß der Dichter sich nur bemüht hat, die einzelnen Bilder auszuführen, ohne ein in allen Teilen übereinstimmendes und glaubhaftes Bild der ganzen Situation zu zeichnen . . . .“ Cogitari potest puellam apud lenam habitavisse (cf. vv. 71/72). Similiter ac Propertius Ovidius nusquam dicit, qua necessitudine puella lenam attingat. Eam non aliter

---

1) Simile argumentum invenis in Leonidae epigrammate A. P. XII 455.

2) Cf. adnot. Prop. editionis partis II, pag. 243.

ac Cynthiam Properti domi lenae habitare poetam animo fingere putandum est (cf. v. 28). Cum Propertius, ut supra dixi, subito lenam praecepta amandi dantem faciat, Ovidius transitum aptum ad orationem lenae habendam quattuor versibus intextis efficit: vv. 19 sqq.:

haec sibi proposuit thalamos temerare pudicos;
  nec tamen eloquio lingua nocente caret.
fors me sermoni testem dedit; . . . .

Verisimilius videtur esse Ovidium elegiam Properti imitatum rem magis ratione ac via solito more tractavisse, ita ut sententiae apte inter se exciperentur, quam Propertium ab Ovidio pendere.

Quibus rebus demonstratis dubium non iam videtur esse, quantum equidem iudico, quin Propertius prior fuerit i. e. Ovidius carmen Properti imitatus sit. Illum simul ad comoediam accessisse vidimus. Accedit, quod etiam praecepta rhetorum respexit. Nam Ovidius προσωποποιίαν [1]) praebere studet. Maxime enim eius interest lenam depingere, ita ut e verbis eius mores cognoscamus. Unde etiam explicatur quod, cum Propertius ipse summa ira et odio incensus sit, quoniam lena puellam ab eo alienare studet, Ovidius Corinnam omnino fere non respicere videtur. Differunt poetae etiam ratione, qua usas lenas pudicitia prostituta puellas ad victum faciendum incitantes faciunt. Apud Propertium enim lena puellam ad avaritiam impellere non studet, sed eam avaram esse iam putat (cf. vv. 21 sqq.: si te eoa Dorozantum iuvat aurea ripa etc.). Itaque statim praecipit, quomodo viri expilandi sint. Contra apud Ovidium puella nondum avara est, lena potius eam ad avaritiam inducere studet, ut ipsa fructum capiat e forma eius. Scrupulos puellae eximere scit, nam temporibus pristinis quidem pudicitiam fuisse,

---

1) Cf. Reitzenstein. l. l. — De προσωποποιίᾳ cf. Theonis cap. 10.

sed tempora nunc mutata esse, quibus cedendum sit, exponit (vv. 39 sqq.). Penelopes ipsius exemplo rem in obscoenum detorquens utitur, ut e puellae animo scrupulos evellat (v. 47 sq.). Tum lena, ne forma puellae pereat, amatores admitti opus esse demonstrat (v. 53). Tum demum in universum puellam docet, quibus artibus usa multum pecuniae parare sibi possit. Vides Ovidium calliditatem lenae magna cum sollertia illustravisse.

Ovidius a Properti carmine exeunte maxime discedit. Propertius multis verbis morbum exsequias sepulcrum lenae describit, tum eam iterum similiter atque initio carminis devovet. Contra Ovidius se umbra sua proditum vix se retinere potuisse fingit, quin lenae vim inferret; tum aeque ac Propertius lenae male precatur duobus versibus solis. Optat enim, ut senectam inopem degat et siti perpetua vexetur. Ovidius conclusionem consulto brevem effecit — (v. 109—114; apud Propertium 61—76) — neque multum adicere voluit. Nam, ut supra dixi, eius maxime interfuit πρόσωπον lenae depingere, quod legentes e verbis eius cognoscere voluit.

Ovidium, ut breviter repetam, quod supra disserendo et interpretando invenimus, duo exemplaria respexisse vidimus, comoediam novam et imprimis Properti elegiam IV 5. Simul praecepta rhetorica secutus est.

Iam satis disseruisse mihi videor, qua ratione Ovidius Properti elegias in Amoribus scribendis respexerit atque imitatus sit. Quamobrem breviter comprehendere mihi liceat, quod hac de quaestione statuendum esse evicisse videmur. Vidimus maxime varia ratione Ovidium exemplar imitatum esse. Quattuor gradus imprimis imitationis distinguendos esse intelleximus: primum enim apud Ovidium poetam illum carminum Properti peritissi-

mum saepissime singuli loci similes inveniuntur, quibus similitudinem consulto ab eo effectam esse dici non potest; deinde locos invenimus, quibus Ovidium sententias singulas Properti consulto imitatum esse vel ad eas allusisse apparet; tum Ovidium etiam argumenta tota e Propertio hausisse et in usum suum convertisse intelleximus; denique nonnumquam Properti elegias ad carmina tota Ovidi componenda multum valuisse vidimus. Quo loco postremo rem varie se habere demonstravimus: nam aut locus quidam Properti vel carmen totum ipsum eius Ovidio ansam dedit, qua usus carmen scripsit, aut carminis compositionem Ovidius secundum Properti exemplar argumento ex alio fonte hausto formavit, aut Ovidi elegiae et inventione et compositione a Propertio plane pendent. Semper autem Ovidius Propertium non serviliter imitatus est, sed operam dedit, ut legentes suum et Properti carmen comparantes se carmen novum composuisse intellegerent, quod non minus quam Properti valeret. Semper enim notam sui ingenii propriam carminibus imprimere studuit et certa consilia secutus est. Comprehendere liceat, quam viam et rationem Ovidius Properti carmina in usum suum convertens inierit. Praecepta rhetorum Ovidium, illum discipulum diligentem eorum, secutum esse omnino non mirum est. Maxime imaginibus summo colore depingendis delectatur atque libenter in descriptionibus accuratis versatur (I 2, I 14, al.). Idem narrationibus lepidis intexendis valde gaudet, qua in re eum permultum efficere posse intelleximus (I 1, II 18, III 10, al.). Complura exempla tractavimus, quibus eum id quod Propertius dixit narratione explicuisse simul naturae et ingenio suo omnino indulgentem, quod maxime respiciendum est, apparebat (I 1, II 18, al.). Operam navat, ut acumen certum addat (III 4, 31 sqq. etc.). Saepe sententias maxime inter se contrarias opponit, ut animus legentis

magnopere moveatur (I 14, III 14 etc.). Certa verba, quae Properti orationem excipiunt, suo carmine in clariore luce ponit (III 14, al.). Semel atque iterum Ovidius, ut rem novam afferat, Properti sententias vel argumenta variat, qua arte summa cum sollertia atque facultate excogitandi utitur (I 2, 23 sqq., I 14, I 15, 1 sq., II 1, II 10, II 14, II 18, III 15, 11 sqq. etc.). Crebro Ovidius rem disertius et diligentius Propertio tractat neque raro sententias vel argumenta eius amplificavit; idem operam dat, ut cogitationes a Propertio allatas augeat, ut eum superet (I 3, 28 sqq., I 14, III 14 etc.). Scaenas singulas vividissime et dilucidissime ante oculos nostros proponere scit (I 8, II 11, II 18, al.). Saepissime enim exempla eiusmodi inveniuntur, ut Ovidius rem dilucidius et definitius et magis perspicue exprimat atque explicet quam Propertius (I 14, III 11 etc.). Neque raro ab argumento ab amico allato profectus de re uberius per se disputat atque totam fabulam, ut ita dicam, excogitat (I 11, 12, al.). Saepe Ovidius rem, quam Propertius serio atque intento studio profert, iocose tractat, ut est animo ad iocandum prompto; vel, ut aliis verbis utar, Ovidius argumenta, quae Propertius aliquo casu vitae commotus tractavit, in facetias vertit (I 1, I 2, II 1).

Quod attinet ad compositionem carminum, maximi momenti est, quod Ovidius non raro unum argumentum ceteris omnibus neglectis ex aliquo Properti carmine arripit, quod ratione certa atque stricte pertractat (I 14, II 4, III 10, III 14). In universum dici posse videtur Ovidium minus quam Propertium a proposito digredi — quem, ut est poeta vere elegiacus, consulto hac ratione usum nihilominus certum consilium semper sequi non ignoramus —; crebro denique Ovidius proficiscitur ab uno auctore, sed aliorum quoque sive argumenta sive sententias infert, quas tam sollerter coniungit, ut apte

inter se respondeant atque carmen ipsum unum et totum nihilosetius effectum sit (II 10, II 14, III 11, al.). Idem argumenta vel sententias e diversis Properti elegiis hausta magna arte usus coniungit (II 4, al.).

Ut in pauca conferamus, Ovidius argumenta a Propertio allata maxima cum sollertia in usum suum ita convertit, ut sui ingenii fetus ederet.

INDEX LOCORVM.

CORRIGENDA.

pag. 14 v. 10 lege s i t pro est.
„ 56 adnot. [2]) lege s e r v a t o . . . d u o s.
„ 64 v. 23 lege a f f e c t o s.
„ 66 adnot. [2]) lege s t u - d u i t pro stud-nit.
„ 67 v. 19 lege t u pro Cu.
„ 68 adnot. [1]) lege h o c s e pro hac re.
„ 69 v. 3 dele III.
„ 70 adnot. [1]) lege A n a c r. . . E u n.
„ 75 v. 4 lege l a u d a t a v. 7 c o h a e r e n t.
„ 84 v. 20 „ O v i d i u m.
„ 85 v. 15 „ q u a r u m pro quorum.
„ 95 v. 4 „ c o m p a r a n d a.
„ 95 v. 7 „ q u a t e n u s p o e t a e.
„ 96 v. 33 „ e x e u n t i.
„ 101 v. 8 „ c a r m e n.

VITA.

Natus sum Rudolfus Neumann natione Borussus a. d. XIII. kal. Nov. anni 1893 Hamburgi patre Carolo Augusto, quem paucis his annis mortuum esse doleo, matre Ella e gente Lampe. Addictus sum fidei evangelicae.

Postquam in urbe Hannovera gymnasium frequentavi, cui nomen est Leibnizschule, primum vere anni 1912 Friburgum, in urbem Badensem, me contuli, ubi apud philosophorum ordinem nomen professus lectionibus virorum doctorum Finke, Kieckers, Kluge, Reitzenstein per unum semestre interfui. Tum Lipsiam adii, ubi per duo semestria me docuerunt viri docti Bethe, Brandenburg, Brugmann, Holz, Koester, Lamprecht †, Sievers, Wundt, Zarncke. Deinde autumno anni 1913 in numerum civium academicorum Gottingensium receptum per quinque semestria me docuerunt viri docti Baumann †, Busolt, Koerte †, H. Maier, E. Mueller, Pasquali, Pohlenz, Reitzenstein, Schroeder, Schultz †, Titius, Wackernagel, Weissenfels, Wendland †.

Examen pro facultate docendi a. d. VI. non. Mart. anni 1917 subii et facultatem litteras philologicas atque Germanicas docendi adeptus sum. Tum referendarius per aestatem anni 1917 discipulos gymnasii Goslariensis litteris erudivi. Ab autumno illius anni usque ad hoc tempus pueros gymnasium Clausthaliense frequentantes docui.

Omnibus viris doctis, qui studiis meis faverunt, gratum animum habeo, imprimis autem Maximiliano Pohlenz, qui cum ad hanc dissertationem scribendam me incitavit tum in ea perficienda benignitate maxima semper me adiuvit.